



*Nr. 20.*

16

DISSE<sup>TATIONEM</sup> IN AVGVRALEM  
DE  
**PARONOMASIA  
SACRA,**

DEO BENE IVVANTE,

P R A E S I D E

**CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS,**  
THEOL. ET PHIL. PROF. ORD.

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS,

AD D. IX. SEPTEMBR. A. CICCI CCXXXVII.

H. L. Q. C.

PVBЛИCE VENTILANDAM EXPOSIT

**IO. CHRISTOPHORVS DECKER,**  
VCAROMVnda · POMERANVS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
LITERIS IO. HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

CHRISTIANO BENEDICTO  
HORNIAEENSIS  
PRO SVAE IN HONORIBUS HORNIUS  
VOCATIONE  
AD TERRAM CECILLIUM  
IN CHILOCHIAS DECITUR

THEATRUM HISTORICO-PALAEOGRAFICUM  
TOMUS I. PARTES I. ET II.



DE  
PARONOMASIA SACRA.

§. I.



Nter illa & verborum & sententiarum lumina, quæ vocant Græci ΣΧΗΜΑΤΑ, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguitur omnis oratio, (vt haber CICERO de Cl. Oratoribus p. 190. vel 589.) merito suo ΠΑΡΟΝΟΜΑΣΙΑ a rhetoriconum scriptoribus connumeratur. Cumque illa schemata alia quidem verborum, alia vero rerum sint, in prioribus, non in posterioribus

Paronomasia locum haber. Vocant eam Græci & alio nomine παρονομία, itemque παρέχων vel παρέχυμα, Latini vero agnominationem seu annominationem. Quo nomine Hebreis hæc figura veniat, id mirum est, diligentissimum virum 10. BVXTORFIVM in Lexico suo Talmudico-Rabbinico, & huic subiecto indice Latino, prætermisso. Supplebimus ergo defectum hunc tum ex Breschith-Rabba Sect. XVIII. f. 15. b. tum ex commentariis DAV. KIMCHII ad Mich. I. 10.vbi vocatur רָאשׁוֹן נָפֵל עַל וְלִשְׁׂׂן דָּרָךְ צְהָרָא Vox una cum alia voce sono coincidens, ornarus causa. Describitur autem ab auctore Rhetoricorum ad Herennium lib. IV. p. 30. vel 94.

A

Cum

## DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>

---

*Cum ad idem verbum acceditur commutatio<sup>n</sup> eius litterar<sup>e</sup>, aut litterarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur; a FABIO vero QUINTILIANO Instr. orator. I. IX. c. 3. genus figurarum, quod aut similitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis, vertit in se aures, & animos excitat; a RVTILIO LVO, qui inter Antiquos Rhetores Latini, Parisiis A. CID IO XCIX. impressos, primum locum occupat, pag. 2. quæ aut addenda, aut demenda, aut mutanda, aut porrigenda, aut contrahenda littera, aut syllaba, fieri consuerit; a BASILIO FABRO in Thes. scholast. sub voce Agnominatio, cum iucunda quædam sit vocum collusio, in contrarium deflexa: & vt sacræ quoque philologicæ auctores ne prætereamus, a SALOM. GLASSIO in Rhetorica S. Tract. II. c. 2. cum dictiones diuersæ vel litteris vel syllabis, iucunda quædam allusione inter se conuenient; & denique a MATT. HILERO in Onomast. S. p. 689. scita vocis ad vocem allusio, per littera adiectionem, detractionem, transpositionem vel immutationem. Ex quibus aliquis auctorum descriptionibus, maximeque ex adiectis ab eis exemplis, intelligitur, paronomasiā modo arctioribus, modo amplioribus definiri terminis; ita vt latius accepta, antanaclasis, homœoptoton, homœoteleuton, παρηγενετος, & ipsas inditorum nominum etymologias complectatur. Vnde nec nobis, qui de paronomasiā saera, hoc est, diuinis vereris & noui instrumenti libris propria, commentari aliquia constituimus, viatio vertetur, si, quæ ad species has modo memoratas pertinent, ad paronomasiā generaliore significatu acceptam simul rerulemus: ea tamen lege, vt a meris nominum etymologiis, passim obuiis, abſtineamus, ne, quam suscepimus, nimium excrescat tractatio.*

*§. II. Sed heic forte obiecerit nobis quispiam, vide ri nos parum honoris tribuere sacris litteris, qui paronomasiā illis adscribamus. Malam enim notam Paronomasiā inussit Fabrianus thesaurus scholasticus sub hac voce: *Hac figura (sic inquit) in ioculari & parum severo scripto nibil gratius;**

## DE PARONOMASIA SACRA.

3

gratius; at in serio nihil ineptius, praesertim si frequenter-  
tur, qua tamen affectatione multi hodie sibi mirifice placent.

Nempe, v. Nævius ait:

- Oratores noui, stulti adolescentuli.

Miramur utique iudicium, praesertim ut prioribus id ver-  
bis expressum est. Demus enim, schema hoc aliquando  
ad abusum in ioculari & parum severo scripto abripi; num  
vero ideo schema ipsum tam atro notandum erat carbone?  
Atqui in mentem heic venire debuerat, quod cicer. lib. II.  
de Oratore iam monuit: Sed hoc memento, quoscumque lo-  
cos attingam, unde ridicula dueantur, ex iis locis fere et  
iam graues sententias posse duci. Tantum interebit, quod  
grauitas honestis in rebus severo, iocus in turpitudinis & quasi  
deformibus ponitur. Concedimus quidem, abusum hunc  
esse, si nimis frequenter paronomasia; quia omne, quod  
nimium est, habet vitium: sed abusus usum ipsum tollere  
non deber. Videri poterat praeiuissle odioso isti iudicio au-  
tor Rhetoricoum ad Herenn. l. IV. p. 31. vel 96. Fides, inquiens,  
& grauitas, & severitas oratoria minuitur his exornationi-  
bus frequenter collatis: & non modo tollitur auctoritas dicen-  
di, sed offenditur quoque in eiusmodi oratione auditor: pro-  
pterea quod est in his lepos & festivitas, non dignitas, neque  
pulchritudo. Quare que sunt ampla & pulchra, diu place-  
re possint: que lepida & concinna, cito satierate adjiciunt  
aurium sensum fastidiosissimum. Quomodo igitur, si crebro  
his generibus utemur, puerili videbimus elocutione delectori:  
ita se raro has interseremus exornationes, & in causa tota  
varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabi-  
mus orationem. Sed quis non vider, auctorem hunc de pa-  
ronomasia iudicare multo, quam illum, moderatius, dum  
non figuram ipsam, sed tantum eius frequentationem im-  
probatur; nec ioculari solum & parum severo, sed etiam se-  
rio sermoni concedit; quin & orationi commode velut lu-  
minibus illustranda inservire agnoscit? Suffragatur huic,  
& pro paronomasia decernit GER. IO. VOSSIVS Partit. Orat.lib.

A 2

IV.



## DISSERTATIO

IV. c. XIII. §. 5. Schema hoc, inquiens, non tantum delectat, sed vehementius etiam pungit; & §. 10. Schemata hæc, quæ in similitudine consistunt, et si alibi quoque locum habent, in primis tamen commendantur in sententiis; quia & suauius influant in animum, & diuinius hærent. Quis ineptum audet dicere, cum CICERO in *Verræ*, agens de re maxime seria, *Sicilia*, inquit, *re non PRAETOREM, sed PRAEDONEM habuit*; ovidisque, vbi triumphum describit, *ORBIS in VRBE fuit?* Et vero talibus utri exornationibus optimi quique auctores in argumentis maxime seriis utri confuerunt, quorum exempla in rhetorica libris passim prostant.

§. III. Quod ad sacram in primis paronomasiam attinet, agnoscunt eius tum iucunditatem, tum emphasis, celebrantque vel doctissimi litterarum sacrarum interpres. Etenim ex Hebreis DAV. KIMCHIUS Comment. ad Mich. I, 10. vbi integra paronomasiarum est congeries, ita: דָּרְךָ צָהוֹת הַשִׁירִים וְהַמִּקְוָנִים לְדָבֵר בְּשֻׁרוּתֵיכֶם וּבְקַוְתֵּיכֶם Est paronomasia schema orationis elegans, solentque tum qui lœta, tum qui tristia canunt, hoc schemate in carminibus tristioris non minus, quam latioris argumenti, & generatim in quaunque oratione utri. Ex Christianis vero CAMPEG. VITRINGA in Prolegom. ad Iesaiam p. II. Decus, inquit, oratione Iesaiæ atque elegantia plurimum accedit ex frequentioribus PARONOMASII illi inspersis; in quibus fingendis ingenii est usus singularis. Meæ diligentia non est, ad id animum aduertere primum; cum plures ex eruditis viris, & in his præcipue purgati iudicij Mericus Casaubonus Tractat. de IV. linguis, cuius de hoc arguento docta exstat obseruatio, hunc sermonis ornatum in Prophetæ nostro laudauerint, cert. Parimodo pia memoriae Theologus & nostras olim decus Academæ, AVG. HERM. FRANCKIUS, in Introd. in Psalter. Psal. XXXIII, 4. Paronomasie, inquit, in textu Hebræo Psalterii, & Iesaiæ in primis, deinde & reliquorum scriptorum veteris Testamenti, adcurat

## DE PARONOMASIA SACRA.

5

adcurate animaduertenda sunt. Multum enim emphases inde colligitur, & pertinet etiam hæc animaduersio ad rationem orationis sacræ adcuratius pernoscendam, nec parum refert in studio exegerico, nosse rationes, cur hæc, non alia vox sit adhibita, vbi nonnunquam ratio non potest, nisi a paronomasia peri. His accedit iudicium IO. IAC. RAMBACHII, τε μακρίς, in Institut. Hermeneut. S. I. II. c. VIII. §. XIV. Immo nec FIGVRAE VOCVM sua emphasi carent. Ita PARONOMASIAE sèpius offendunt, res illas, similibus vocibus prolatas, sibi adeo similes esse & coniunctas, ut vel vulgo confundantur, vel pro iisdem iure aut diuino, aut humano, babeantur.

§. IV. Habet vtique Paronomasia, vt decus, ita emphasin, vt rem ipsam pro substrata materia non simpliciter solum dicat, sed etiam cum solemnitate, & adhibito velut memoriali symbolo, sc̄suque dilatatore, iucunde insinuet. Et fieri potest, vt qui paronomasiam a scriptoribus sacris adhibitam non animaduertit, sensum simplicem sermonis, quatenus simplex est, percipiat quidem, sed dilutiorem illum sensum, quem paronomasia simul inuoluit, verborumque similitudine implicat, transmitrat atque ignorer. Exempli caufa, in illo Noachico Gen. IX, 27. יְהִי אָלֹהִים לְעַבְדֵּךְ Dilatet Deus spatium Iaphetho, & contra in illo Zeph. II, 4. עֲקָרָן תַּעֲקַר Et Ekron eradicabitur, facilis vtrinque sensus simplex est, fore nempe, vt Iaphetho amplissimus ad habitandum locus a Deo concedatur, Ekronefi vero vrb̄i inferatur excidium: sed si paronomasia insuper obserueretur, seu suavis illa, quæ inter similes voces est collusio, illic quidem inter עֲקָרָן dilater & לְעַבְדֵּךְ Iaphetho, heic vero inter עֲקָרָן Ekron & תַּעֲקַר eradicabitur; aliam vna inferri intelligemus sententiam, simplici isti innexam, nempe, sic esse futurum, vt tum Iaphethus, tum Ekron' vere nominis sui fiant, seu sint quod vtriusque dicit nomen, ille Dilatus, hæc Eradicata, ac adeo nomen & omen habent;

A 3

plane

## DISSERTATIO

6

כִּי כָשָׁמוּ כֵן הוֹא Quoniam ut nomen eius, sic ipse est: **NABAL** (stultus) est nomen eius, & **STVLTTIA** apud ipsum est. Talium igitur sensuum prior, isque simplex, **סְמַלְתָּא**, posterior, isque figuratus, **פָּרָוּנָמָדָהָא**; ille eiusphera **תְּאַגְּזֶהָא**, hic vero **פָּרָגְעָסְפְּרָטָה** **אֲגָּזָהָא**. Sic item, quum Esa. I, 23, dicitur שָׂרִירֵיךְ **Principes tu*i*** sunt **refractarii**, cum allusione ad similitudinem soni, que est in vocibus שָׂרִירִים (**Sarim**) **principes**, & סָרָרִים (**Sorerim**) **refractarii**; quis non intelligit, per hanc ipsam paronomasiam, cum simplici illo sensu, **Principes tu*i*** sunt **refractarii**, quem quacunque versione non minus quam ipso textu originali expressum cernimus, huic cumulatiorem subinferri sensum: Hi, qui praestunt tibi, adpellantur quidem ab hoc statu suo **Sarim**, id est, **Principes**, quod est augustum & venerabile nomen; si vero indeos illorum & mores praui spectentur, quibus se Deo & legi eius contrarios gerunt, vtique non **Sarim**, sed immutato, quanquam litterarum similitudine idem propemodum sonante nomine, **Sorerim**, hoc est, **refractarii** dici merentur, adeo pa- rum conuenienter augusto illi **Principum** nomini agunt.

§. V. Est autem, vt in alia quacunque oratione, ita in sacris praeципue litteris cauendum, vt ne paronomasiæ, quas inuenisse nobis videmur, adflectare potius & quasitæ, quam oblate & inuentæ sint. Nec enim sufficit ad paronomasiam qualiscunq; vocum, litteris vel syllabis diuersarum, in sono conuenientia, sed scitam illam ac elegantem; nec fortuitam, sed ab ipsis scriptoribus intentam; nec nimis longe petiram difficilemque, sed pronam & qua sua se facilitate animis sive legentium sive audientium sponte insinuet; esse oportet. Itaque vix impetrare a nobis possumus, vt pro genuinis paronomasiæ exemplis habeamus hæc & similia: Gen. XX, 1. וַיַּעֲבֹר בְּגַדְרֵי PEREGRINATVS EST Abraham in GERARA, c. XXVI, 8. Et ecce! מִצְחָק ISAA.

DE PARONOMASIA SACRA.

¶

*ISAACVS LVDEBAT*, Ex. XVI, 15. *מן הוּא כִּי לְאָ* *MANNA* illud est, quoniam non noverant,  
*QVID* esset, Ex. XXX, 4. *לְבָתִים* in *RECEPTA-*  
*CVLA* pro *VECTIBVS*, c. XXXIX, 33. *krēsion* *VNCI-*  
*NVLOS eius*, *TABVLAS eius*, v. 41. *בְּגַדֵּי* *הַשְׂרָר* *לְשְׁرָתָה*.  
*Vestes VELI* seu tapetia Sardica, *ad MINISTRAN-*  
*DVM*, Num. XXI, 9. *Fecit Moses נָחַשְׁתָה* *SERPEN-*  
*TEM AENEVM*, i Sam. VI, 7. *& duas vacas שְׁלֹהָה*  
*עַל* *LACTANTES*, *SVPER* *quas non ADSCENDIT IVGVM*, ybi quidem *עַלְוָה* *laetantes*  
*tergeminam ratione soni conuenientiam* *habet*, *cum adscendit, עַל super, & עַל iugum*, *sed circa paronomasiā, nisi hanc admittere velles elumbem & frigidissimam. Sic*  
*Psal. LXIX, 30. & LXX, 6. פָּנָא עַנְיָן וְאֶgo sum MISER,*  
*Prou. VI, 27. Numquid capiet אָשָׁשׁ VIR IGNEM in*  
*sinu sum* *cet. c. XXII, 3. Prudens רָחָה PRAEVIDET*  
*MAEVIM*, *& in Graeco stilo librorum noui Instrumenti*  
*Aet. XXI, 39. non ignobilis πόλεων πολιτειῶν, CIVITATIS*  
*CIVIS*, Hebr. IX, 10. ἐπὶ βρώμασιν καὶ πόνουσι super CIBIS  
*& POTIBVS*, *& quae sunt alia huius generis frigidiora*  
*aut parum certa paronomasināta.*

§. VI. Porro, si paronomasiā non aliā, quam  
 ab ipsis scriptoribus sacrī intentā, signisque si non diluci-  
 dis vbique & certis, tamen probabilibus expressā, se-  
 tari conuenit; igitur paronomasie veri nominis non in ver-  
 sionib⁹, sed in textu originali, & Hebraicas quidem ex  
 Hebreico, Graecæ vero ex Graeco textu, quærendæ sunt.  
 Hinc Psal. XXII, 6. verba illa בְּתֻחוֹ וְלֹא בְּוֹשֵׁן posses qui-  
 dem cum *BEDA PREBTERO de Schematibus & Tropis Scri-*  
*pturae S. pag. 345. collectionis antiquorum Rhet. Lar. eleganti*  
*paronomasia exprimere. In te CONFISI sunt, & non sunt*  
*CONFIVSI*; sed quia nihil huiusmodi in authentico textu  
 est, tuus, non Spiritus sancti ille latus erit. Hinc respu-  
 mus fortuitas illas, aut saltem fontibus sacrī non respon-  
 dentes Versionum paronomasias, e. g. *Syriacæ 2 Cor. XI, 3.*

Dece-

## DISSERTATIO.

*Decepit נָחָר SERPENS* (quasi dices *EVIA*, quod nomen Syris notat *serpentem*) *EVAM*; ut iucunda vocum collusione deceptor *Eua*, decepta *Eua* nominetur; præter fontes tamen, ὁ ἄρτος Εὐα εξηγάρτειν: item Arabicæ in Polyglottis Anglicanis Num. IV, 24. נְכַלָּע וְכַלְלָא, indeque ipsius versionis Latinae, quoad *OPVS* & *ONVS* ex Hebreo לשׁׁבֵר וְלִמְשָׁא; & Eph. IV, 29. *Sermo פָּנָל malus*, — נְאַלְמָא *bonus*, ex Graeco σαπρός & ἀγαθός. Respiimus item illam paronomasiam, quæ μετάβασιν ex originali in aliam plane linguam committit: vt quum *CAMP.VITRINGA* *Obseruatt.* S. lib. IV. c. IX. §. 29. 1 Petr. II, 2. 5. fideles modo cum *infantibus*, modo cum *lapidibus*, comparari putat, facta advoce Hebraicas נֶזֶן *filius* & אֲבָן *lapis*, Verbumque בְּנָה *adificauit*, allusione, subtilius magis quam verius; aut quum idem in Comm. suo Apoc. XVIII, 21. in commate illo, Οὐτας ἐγινέκτη βλαυθήσεται Βαθυλώ, in Verbo βλαυθήσεται proiicietur, quod Chaldaice effteretur חַדְרָמָת, sibi vifus est reperiisse allusionem ad urbem *Romanam*, veluti exsertiū dictum effteretur ad urbem *ROMAM* (quod nomen cum נָמָר *ieci* conuenit) *PROII-CIETVR*; item quum B. HIERONYMVS illo Gal. I, 6. Θαυμάζω, ὅτι ἔτω ταχέως μετατίθεται, Paulum exiftimauit allusisse ad *Galatarum* nomen, quod *Galaria* Hebreis *translatio-nem* (forte αττάλη *migravit*, *translatus est*, vel ex conjectura Ven. I. c. WOLFI in *Curis* ad l. c. a. διττό *volvere*) inferat. Quomodo, si liberet, ad illud Gen. III, 1. נָחָר *immo* estne credibile, quod dixerit *DEUS*, ludere possemus vernaculo sermone, die *Schlange habe das Weib mit diesem נָחָר beaeft*; & ad Deut. VII, 7. וְשַׁנְנַתְמָם לְבָנֵיךְ *exacues ea filiis tuis*, monentes, hanc esse veram *Sonnam*, quo nomine Muhammedanis *traditio oralis* venire solet: sed sine certo fundamento, & ita vt ludere magis, quam serio agere videremur.

§. VII. Caeatur item, vt ne in stilo simplici historico, quando vrbiū personarumque nomina propria ex originibus suis exponuntur, meræ querantur allusiones, non inumque etymologiæ grammaticæ in rhetoricas transfor-mentur

mentur paronomasias, contra intentionem auctorum, qui  
sacras nobis reliquerunt historias. Peccauit hac in re Celeb.  
HERM. VON DER HARDT in sua *Historia regni Babyl.* p. 140. seqq.  
vtpote vbi contendit, verba illa Gen. XI, 9. *Propterea voca-  
tum est nomen eius Babylon, quoniam ibi confudit Dominus  
Iabium omnis terra,* non respicere appellationis primæuæ  
originem & causam, sed moralem nominis iam dudum ex-  
stantis adplicationem, eleganti historicorum & poetarum  
consuetudine, qua nominibus oppidorum veteribus, sono  
seruatis, inferunt nouam significationem, pro statu rerum  
præsente, quæ non sit nisi *allusio* & *accommodatio*: primi-  
rus enim vrbem dictam fuisse *Babylonem*, in memoriam  
conditoris primi, *Beli*, huic vero nomini veteri heic no-  
vam esse datam significationem pro fatis presentibus, scilicet  
iuste eam iam audire Babylonem, *confusam*, cert. Cui  
vero satisfactum est a *Præside* in *Commentat. apologetica* p.  
225. seqq. eo potissimum arguento, quod formula illa:  
*Propterea vocavit seu vocatum est nomen*, cum subiuncta ra-  
tione etymologica impositi nominis, tofies tofiesque in fo-  
la Geneci recurrens, non aliam vsquam, quam vere gram-  
maticam denotet impositorum nominum etymologiam. Ce-  
teroqui non abnuimus, in historiis quoque occurrere par-  
onomasias posse, qualis est illa apud SPARTIANVM in vita Se-  
veri c. XIV. *Dannabantur plerique, cur iocati essent; alii,  
cur pleraque figurata dixissent: ut esset Imperator vere  
nominis sui, vere PERTINAX, vere SEVERVS.* Et  
apud TREBELLIVM POLL. in Claudio c. V. *Gallus Antipater, --  
principium de AVREOLO sic habuit: Venimus ad Impera-  
torem nominis sui. Magna eius videlicet virrus, ab AVRO  
nomen accipere.* Quo forte ex sacris referre iuuabit 1 Sam.  
VI, 18, vbi, qui modo v. 14. & 15. אֶבֶן־זְרוֹלָה lapis magnus  
adpellatus erat, adfini, sed in deterius flexo venit nomine  
אֶבֶל־זְרוֹלָה ludus magnus, quasi diceres, *der grosse Trau-  
er- und Leichenstein*, ex tristi euentu, quod magnam illic in

populo edidisset Deus stragem, וַיַּחֲבֹלָו הָעֵם & luxisset populus v. 19.

§. VIII. Paronomasia autem multis & variis rationibus conficitur, descriptis ab auctore *Rhetoricor. ad Herenn.* lib. IV. p. 30. 31. vel 94. 95. ad quorum instar exempla ex sacris proferemus litteris. Fit nempe 1) *PRODVCTIO-NE vocalis litteræ*, hoc modo: *Hunc auium dulcedo ducit ad auium*, Esa. XLI, 15. וְרָאוּ אִים יְיֻרָאֵת videbunt Insulæ & zimebunt. 2) *BREVITATE vocalis litteræ*, hoc modo: *Hic tametsi videtur esse honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quantum Curiam*, Num. XXIV, 21. Cumque vidisset אֶת-קְנִיטֵי Keritam seu gentem Keniticam, pro-lato oraculo suo, *Valida, inquit, est habitatio tua, & positus in rupe קֶרֶב nidus tuus.* 3) *ADDENDIS litteris consonantibus*, hoc pacto: *Hic sibi posset temperare, nisi amoris mallet obtemperare*, Soph. II, 4. *Gaza erit de-serta, 2 Thess. III, 11. וְהָדֵן הַמְּגַדְּלָן הַמְּגַדְּלָן, אֲתָא אֶל-פְּרִיעָרָתָךְ* nōdēn ἐργαζομένες, nōdēn περιεργαζομένες, nōbil agentes, saltēm quod solidum ac bonae frugis sit, sed curiose satagentes, opposite ad v. 12. *וְהָדֵן הַמְּגַדְּלָן הַמְּגַדְּלָן, cum tranquillitate agentes.* 4) *DEMENDIS litteris*, sic: *Si lenones tanquam leones viraffer, viræ se tradidiſſet*, Prou. VI, 23. וְהַזְרָה אָור & lex lux, Act. VIII, 30. *Ἄλλοι γινά-κεις & αὐτογενεῖς; Ergone intelligis quæ legis?* 5) *TRANS-FERENDIS litteris*, sic: *Videte iudices, utrum homini na-vo, an vano credere malitis*, Esa. LXI, 3. *Ad dandum illis פָּרָה בְּנֵי נְגָד ornatum loco cineris.* 6) *COMMVTANDIS litteris consonantibus*, hoc modo: *Nouem conuictum, se-ptem conuicium*, Esa. V, 7. *וְיָכוֹל מִשְׁבַּט וְהַנָּהָר מִשְׁבַּט לִשְׁרָקְנָה Et expectauit ius, sed ecce scabiem! iusticiam, sed ecce clamorem!* Hebr. V, 8. οὐαθεὶς ἀφ' ὅν ἐπαθεὶς τὸν ὑπανόντα, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, adeo ut πα-θητα μαθήματα ei fuerint. 7) *COMMVTANDIS litteris vocalibus*, hoc pacto: *Deligere oportet quem velis dili-gere,*

gere, Mich. I, 14. בְּתֵי אַכְזִיב וְאַכְזָב Domus Achzibæ sient in frustationem. 8) DEMENDIS unaque ADDENDIS litteris, ita: Demus operam, Quirites, ne omnino Patres conscripsi circumscripti putentur; cuius generis foret illud ex vulgata versione Latina (nam ex fontibus ipsis nullum iam nobis exemplum succurrat) Phil. III, 2, 3. Videte CONCILIATIONEM: nos enim sumus CIRCVMCISIO, cert. 9) COMMVTANDIS casibus, vt Rom. IV, 18. παρ' ἐλπίᾳ, ἐπ' ἐλπίᾳ, quod & εξουσίᾳ speciem habet.

§. IX. Et haec tenus quidem in describenda Paronomasia auctorem rhetororum ad Herennium maxime sequi sumus. Ea vero conficitur porro 10) AEQVIVOCATIONE vocum earundem: vt Iud. X, 4. Fuerunt ei (Iairo) רכבים על שלשים שערים וששים ערים להם in equitantes XXX ASINIS, & XXX VRBES erant ipsis. 11) CONVENIENTIA litterarum initialium in vocibus coniunctis; vt Mich. I, 15. שֶׁר צְדָקָם יְבוֹא ad ADOLLA-MVM usque veniet. 12) ALLUDENDO ad significacionem ᄀ erymologiam tum appellatiuarum vocum, vt Coh. I, 13. חַוָּא עֲבָנָן רַע — לְעַנְנָה כָּו Eft id NEGOTIVM malum quod dedit Deus mortalibus, vt HVMILIENTVR in eo; tum propriorum nominum, e.c. Gen. XLIX, 16. דָן יְדִין, quod nomen Iudicem notat, & a iudicando datum est, coll. Gen. XXX, 6.) indicabit populum suum sicut vna tribuum Israelis. 13) COMMVTANDIS Coniugationibus: v.g. Exod. XXXII, 18. אַז קוֹל עֲנָנוֹת גְּבוֹרָה וְאַז קוֹל עֲנָנוֹת אֱנָכִי שָׁמָע Non est vox RESPONDENTIVM, Victoria! neque est vox respondentium, Clades! Vocem RESPONSANTIVM (hoc est, alternis sibi imuicem continuo occidentium) ego audio. 14) COMMVTANDO Nominum generi, vt Gen. XXXI, 52. אַד TESTIS (veluti masculus) erit a- ceruus hic, & TESTIS (quasi feminine generis) erit statua hæc.

15) *ALLVDENDO* ad cognatas vocum formas, sive ad finis significationis, vt Ps XVIII, 42. שְׁשָׁנִים וְאַתָּה מִשְׁעֵן *VOCIFERANTVR*, implorantes salutem, sed non est *QVI SALVET*, sive diuersae, vt Ier. LI, 2. Mittam Babyloni וְרֹויָם וְרוּחוֹת *peregrinos*, qui ventilabunt eam. 16) *ALLV-DENDOD* ad certam dialectum, e. g. Esa. XIV, 4. מִרְבְּבָשָׂה vrbs aurea de Babylone, pro מִזְבֵּחַ, ad imitationem Chaldaeorum, quibus istud nomen de metropoli sua sub hac forma frequentarum fuerat. 17) *VERSIS* in deteriorem partem nominibus propriis, vt Ruth. I, 20. *Nolite me vocare Noomin*, quod amaritatem notat, vocate me potius Maran, quod amaritatem & merorem significat. 18) *RESPICI-ENDO* ad symbola quaedam, v. g. Ier. I, 11. 12. Factum est verbum Domini ad me, dicendo: quidnam tu vides, Ieremia? Dixique: baculum AMYGDALI (אַמְגָדָלִי) video. Et dixit Dominus ad me: Reble vidisti, quia INVIGILATVRVS (אַיְלָן) sum verbo meo ad faciendum illud.

§. X. Sunt autem Paronomasie sacræ 1) vel expressæ, vel tacitæ; 2) vel adpellariuarum vocum, vel nominum propriorum; 3) vel Hebraicæ, vel Græcæ, illæ veteris, haenou instrumenti. Liceat igitur heic subiictere *Exempla EXPRESSAE PARONOMASIAE in ADPELLATIVIS* vocibus HEBRAICIS, a nobis obseruata, eaque ad seriem Alphabeti Hebraici, cum respectu ad radices digesta, comprehensis vna paucis (quæ in veteris Testamenti tabulis occur- runt) Chaldaicis. Sunt autem hæc: Gen. IX, 6. שְׁפָךְ דָם הָאָדָם בְּאֶרְךָ רַמו שְׁפָךְ Quisquis fuderit sanguinem HOMINIS, per HOMINEM sanguis eius fundetur; vt quam noxam homo homini intulit, eam vicissim ab homine experiatur, ac adeo desinat homo homini lupus esse. Cohel. VIII, 9. שְׁאַלְתָּה אֲשֶׁר לְעֵדוֹת שְׁלָט הָאָדָם כִּי-זָהָר לְעֵדוֹת Est tempus, quo dominatur HOMO HOMINI in malum sibi vel ei. Esa. XXIV, 4. אָבְלָה נִכְלָה הָאָרֶץ אֲמֻלָּה נִכְלָה תְּבִלָּה;

*terra;*

*terra; LANGVESCIT, MARCESCIT TERRA CVLTA:* vbi tergmina est inter נבלותְּ *luget* & marcescit, נבלותְּ *languescit* & נבלותְּ *marcescit*, ac denique marcescit & הַבָּרֶה *terra culta*, eaque elegans paronomasia. Prou. XII, 21. *לֹא יָמַח לִזְרוֹק כָּל אֶת* Non occurrere fiet, seu accider, iusto villa iniquitas, vel iniquitatis pena, quia iustus, vt iustus, per Dei gratiam sese præseruat a malis, vt culpæ, sic etiam penæ, quæ apud impios pro accidentibus (veluti נִנְמָנָה iniquitas ab אֶת accidendo seu occurendo dicta esset) aestimatur. Psal. XCVI, 5. *Omnes Dii gentium sunt Deastrí*, seu quæ propria huius nominis vis est, vanitates, nibila; quasi diceret, Non augusto illo ac venerabili nomine אלְהִים vel *Dii*, sed adfini, quanquam diuersum plane significante sono, אלְלִיְהָן vanitates ac nibila dici merentur, adeo vana sunt atque inania nomina: plane vt Paulus 1 Cor. VIII, 4. *Nouimus*, inquit, quod nullum, seu nihil, sit idolum in mundo, & quod nullus sit Deus aliis, nisi unus. Adeo vt valeat heic illud Prophetæ Hab. II, 18. *Quid profuit Sculptile, quod sculpsérunt illud formator eius?* Fuisse, & docto mendacii? quod item confusus fuerit formator simulacri sui super eo, dum fecerit nihil, id est, idola mura? Esa. VII, 9. *סֵם לֹא תִּאמְנוּ כִּי לֹא תִּאמְנוּ* Si non credideritis, certe non eritis stabiles, seu non consistetis; quæ duo, credere & stabilem esse seu consistere, ab eodem themare אֲמֵן sunt dicta. Gen. XVIII, 27. *Ecce quæso! in animum induxi loqui ad Dominum, licet sim עָגָד וְאַגְּדָה* *PVLVIS & CINIS*, quæ ambo cognatis & idem propemodum sonantibus Hebrei vocant nominibus. Quod ipsum quoque Iob. XXX, 19. obtinet.

§. XI. Transimus ad exempla a litteris בָּהַר inchoata. Esa. XXIV, 3. הַבּוֹקֶן הָאָרֶץ וְהַבּוֹקֶן פְּבוֹז EVACV-  
ANDO EVACVABITVR terra, & DIRIPIENDO DI-  
RIPETVR; quæ verba Hebraic tum secum ipsa, tum in-  
vicem consonant. Sic in deriuatis inde nominibus Nah. II,  
יְבִקְעֵת אַרְצָה VACVITAS & EVACV-  
ATIO, & EXINANITA fiet. Ier. XIX, 7. יְבִקְעֵת עַזְתָּה וְרוּשָׁלָמְךָ EVACVABO consilium Iudæ &  
Hierosolymæ, facturus, vt Iudæ ac Hierosolymitani confi-  
gio sint vacui, similes futuri lagenæ, quæ Hebraic בְּקַבְּקָה ab  
euacuando dicta, quamque te, Jeremias, vt symbolum huic  
ipsi reforius auditoribus imprimendæ, adhibere volui, coll.  
v. i. & v. 10. Similes allusiones ad nomina symbolorum  
dabimus sub קְרֵב & שְׂקָר. Esa. XXXII, 19. וּבְרִדְתָּה & תְּחִנָּה  
& grandinabit, cum descendet, seu deiicitur sylua: ad  
cuius paronomasiæ instar, in collusione initialium litterarum  
consistentis, similia occurrent exempla sub עַזְתָּה & שְׂרֵךְ.  
Ier. II, 5. וַיָּלֹכְוּ אֶחָרִי תְּהִרְבֵּל וְגַהְבֵּל Et iuerunt post VAN-  
ITATEM, & VANI FACTI SVNT: qualis enim dux,  
talis grex ductorumque agmen. Ier. LI, 2. Mirtam Baby-  
loni זְרוּם וְרוּת PEREGRINOS, qui VENTILABVNT  
eam: ac adeo dupli nomine זְרוּם erunt ei, primo vt pere-  
grini, a זְרוּם peregrinum esse, deinde vero vt ventilatores,  
ex cognato themate זְרוּם ventilare, ac velut ventilabro dis-  
pergere. Esa. LVII, 6. בְּחַלְקֵי בְּנֵל חַלְקֵי in SAXIS val-  
lium PORTIO tua fuit, adeo quidem, vt idola, quæ ex faxo  
facta erant, velut pro egregia habueris portione, & putaue-  
ris, funes diuidenda hæreditatis cecidisse tibi in amcenis, &  
hæreditatem euenisse pulchram Ps. XVI, 6. quando idola e  
lapide facta colere tibi contigit: Iud. XV, 16. בְּלֹתִי הַחֲטֹאוֹת  
חַמּוֹר חַמְרִתִים בְּלֹתוֹ הַחַמּוֹר הַפְּתִי אֶלְעָשָׂה Per MAXIL-  
LAM

*LAM* *afni* *cæsum* est *AGMEN*, immo *AGMINA* duo, per *MAXILLAM* *afni*, inquam, *cæcidi mille viros*: vbi quidem Simson ludit æquiuocatione nominis חמור, quod *agmen* seu *aceruum* non minus, quam *afnum*, significare potest, collato nomine collæctaneo חמור *acerui* Exod. VIII, 10. Item Ier. XIX, 1. *Eundo eas, & compares lagenam formatoris TESTÆ*, id est, *figulinam*, -- *ex easque ad vallem filii Hinnomi*, quæ est ante *ostium portæ* vel *הַחֲרֵסִיתָה* *TESTACEAE*, seu *figulinæ*; ut adeo & symbolum & locus adhibendi symboli, nomine inuicem conueniant. Ier. I, 17. *אל תִּתְהִנֵּה מִפְנִים פָּנָה לְפָנִים* *Ne confonderis a facie illorum, ne confonderem te coram facie illorum*: vbi collidunt inuicem, *confonderis* & *confonderem te*; item, *a facie illorum & coram facie illorum*.

§. XII. Sub litteris מ & כ, י haec nobis occurrerunt exempla: Prou. XIII, 12. *הַמְּלֹחֶה מִמְשָׁבֵחַ מִתְּלַחַה לְבָבָךְ SPES protracta*, seu q:æ differtur, *AEGRITUDINE ADFICIT cor*. Vbi est paronomasia inter *Spes* & *מִתְּלַחַה*? *מִתְּלַחַה* & *אֲגַרְוּדָה*? *אֲגַרְוּדָה* *sperare*, hoc vero a *agrum esse*: veluti diceret, nimiam spei dilationem facere, vt ex *spe* fiat *agritudo*, & loco boni *sperati* succedat *dolor*, quæ duo simili fere efferuntur Hebreis sono. Psal. LXIV, 5. *וַיְהִי וְלֹא יָרַא* Impii *LACVLANTVR* cum (integrum) *nec TIMENT*, aut timore Dei ab iaculando illo retneri se patiuntur; nunquam futuri *יוֹרִים* *iaculantes*, dummodo fuissent *יוֹרָאִים* *timentes Dei*. Prou. VI, 23. *וְכַלְיָה אֹור* Et *lex est lux*. El. XXXII, 7. *וְכַלְיָה בְּלִי רַשִׁים* Et ad *AVARVM* quod attinet, *INSTRVMENTA eius mala sunt*: vbi *כְּלִי*, idem quod *avarus*, & *instrumenta*, colludent. 2 Sam. XXII, 11. & Psal. XVIII, 22. *וְיַרְכֵב עַל־כְּרוּב* II, veluti

## DISSERTATIO

veluti Cherubus non a כָּרְבָּה regere, sed per metathesin a כָּרְבָּה vebi, esset dictus. Num. VI, 18. מֵ הַפְּרוּם חֲמָרָרִים aquæ amaritudinem maledicentes, ac adeo non physicam solum & proprie dictam amaritudinem, sed etiam tropice talem, hoc est. maledictionem inferentes; quæ ambo adfitem sonum habent.

§. XIII. Ab elemento Nun inchoata sunt: Esa. XXXII, 6. נֶגֶל נֶגֶל STVLTVS STVLT A loquitur; & v. 8. וְנִרְבּוּ גְּדוּלָה יְעַזְּזָבָה וְזָבָר נִרְבּוֹתִיקוֹס INGENVVS INGENVA consulit, idemque super INGENVIS consiliis perstabit. Exod. XXIII, 2. Nec respondebis in causa aliqua legem tuam אֶחָד לְגַםְתָּה אַחֲרֵי רַבִּים לְקַתָּה ad DILECTENDVM post multos, ad FLECTENDVM ius: colludentibus heic diuersis eiusdem Verbi coniugationibus, intransituia una, altera transitiua. Ier. LI, 20-23. מִפְּצֵץ אַפְּחָה לְיַד MALLEVS tu mibi es, inquit Deus Babyloniorum regi, indeque cum allusione ad nomen מַלְלֵא malleus, quod a מַלְלֵא dispergere deriuatur, pergit, per anaphoram non minus quam paronomasiam emphaticam: נִפְּצָא Et DISPERGAM per te gentes cet. & DISPERGAM per te equum & sefforem eius, & DISPERGAM per te currum & infidem ei; & DISPERGAM per te tirum & feminam; & DISPERGAM per te senem & iuuenem; & DISPERGAM per te iuuenem & virginem; & DISPERGAM per te pastorem & gregem eius; & DISPERGAM per te agricolam & iugo iunctos boues eius; & DISPERGAM per te praefectos & principes. Ier. XXIII, 33. Et cum interrogauerit te populus hic, aut prophetæ, aut sacerdos, dicendo: מה - מַה שָׁנָא זָהָן? Quodnam est ONVS Domini? dices ad eos, quid sit ONVS: nempe ABIICLAM vos, inquir Dominus. Complicata heic paronomasia occurrit. Primo enim interrogantes sarcastice lussum captarunt in æquiuocatione nominis מַשְׁנָא: quod, cum

cum in proposita quæstione sumere debuissent in bonam partem, *quodnam est pronunciatum seu effatum Domini?* vt æquipolleret his, quas v. 35. substitui Deus iubet, formulis: *quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus?* vt quidem id nominis Prou. XXX, 1. c. XXXI, 1. & alibi passim occurrit; ipsi contra in deteriorem abripuerunt *oneris* significatum, innuentes, verbum Dei sibi graue & *oneris* instar esse. Deinde vero Deus sarcasticam paronomasiā contrario sensu in quærentes retorquet, mandans Ieremiæ, vt, quid in *oneris* censu habendum, indeque vt nimis molestum & graue *abiiciendum* sit, eis ediferat, nempe non verbum propheticum, sed ipsoſmet impie quærentes Iudeos. Tum noua retorfione eandem paronomasiā repetit v. 36. *Sed מִשְׁנָה תַּחֲנוֹן (ONVS Domini) non commemorabitis amplius: quia ONVS erit cuius verbum suum,* quo scilicet verbum Domini sarcastice exagitat, & quo gravissimam Dei iram in se concitat. & *vertiflīs verba Dei viuentis*, faciendo ex illis onus, quæ ad salutem, & ad alleloundum de humeris vestris incumbens iudiciorum diuinorum onus, data erant. Denique v. 38. & 39. nouam facit paronomasiā, & una priorem istam repetit: nouam, *Propterea quod dicitis verbum hoc מִשְׁנָה תַּחֲנוֹן ONVS* (immo & *OBLIVIONIS OBJECTVM*, seu sermonem obliuioni dandum) Domini, cum tamen miserim ad vos, dicendo, ne dicatis, *ONVS Domini, idcirco ecce ego!* וְנִשְׁתַּחֲוו *& אֶתְכֶם בְּשֵׁם* & *OBLIVISCAR* vestri vicissim *OBLIVISCENDO*; priorem vero: & *ABIICIAM* vos & urbem, quam vobis patribusque vestris dederam, a facie mea. Ezech. XXXIX, 9. וְהַשְׁׁלִיךְ בְּנֵשָׁךְ & *ACCIDENT*, accensumque alent ignem, *ARMIS*, facturi ex armis, seu קָשָׁר per Schin, veluti קָשָׁר incendium, hoc est, *incendii* materiam, per Sin.

§. XIV. A ס, ט & ה incipientia: Ier. VI, 28. בָּלָם כַּרְיִ שׁוֹרְרִים Omnes illi sunt (Iudæi) *REFRACTARIORVM*: siue prius horum ad finium vocabulorum סָרֵי ab eodem sit themate *refragari*, a quo posterius סָרָרִים, siue a cognato *soror* recedere. Ier. X, 11. *Dii, qui calos & terram לא עֲבָרוּ non FECERVNT;* יְאַבְּרוּ PERIBVNT ex terra & a-sub caelis his; adeo ut לא (qui terram & caelos non fecerunt) fiant mutato paulisper sono, sed diuerso plane significatu, אֶבְרִין אֶבְרִין pereuntes. Psal. LXVIII, 29. *Præcepit Deus tuus, o Messia, שְׁעָרָה robur tu-um,* igitur *robore ūqārah* robore, & opere ipso validum te esse demonstra, vt quemadmodum ille fieri præcepit, sic factum esse omnes intelligamus. Iud. X, 4. *Fuerunt ei* (Iairo Gileadite) XXX filii על שלשים עֲרָיוֹם רְכָבִים עֲלֵיכֶם *inequirantes XXX ASINIS, & XXX VRBES* erant eis: quasi diceret, mirum, quot asinos, tot urbes fuisse, ac adeo vt nomine, sic numero conuenisse. Cohel. I, 13. *Est id NEGOTIVM malum, quod dedit Deus mortali-bus,* ut להננות בו *HVMILIENTVR* in eo; ac adeo, vt negotium hoc ipsis vere negotium facessat. Thren. III, 47. פָּחָר וְפָחָת הוּא לְנוּן *PAVOR & FOVEA* fuit nobis; & plenius concepta eadem paronomasia, Esa. XXIV, 17. 18. indidemque repetita, Ier. XLVIII, 43. 44. פָּחָר וְפָחָת נְפָתֵחַ עַלְיךָ יוֹשֵׁב הארץ והיה הנס מכך הַפָּחָת יְמִלֵּל אל הַפָּחָת ולכדר בפָחָה *PAVOR, & FOVEA, & LAQVEVS* super te erunt, o incola terra! Et sicut quisquis effugerit vocem PAVORIS, incidet in FOVEAM; & quisquis adscenderit e medio FOVEAE, capietur LAQVEO.

§. XV. Porro litteras ו, ק & ר ab initio præferunt: Esa. V, 7. וְיָכוּ לְמִשְׁפָט וְחַנָּה מִשְׁפָחָה לְדָרְקָה וְחַנָּה אֲצָקָה Et expre-

*exspectauit* quidem Deus a populo suo, cui fructum impensi a se in eum laboris, *IWS*; sed ecce! *SCABIEM*, lepramque spiritualem; & exspectauit *IVSTITIAM*, sed ecce! *CLAMOREM* iniustitiae, & peccata clamantia, ut olim Sodome Gen. XVIII, 20. 21. Hos. VIII, 7. *בְּלִי יַעֲשָׂה גֶּמֶת* *GERMEN*, seu quidquid frugum e terra crevit, non faciet, seu feret *FARINAM*. Ezech. VII, 6. *בְּאֵבֶן קָרְבָּן חַיִּים אֶלְךָ FINIS* *venit!* *venit FINIS!* *EVIGILAVIT aduersus te!* haud aliter ac si dormiens hucusque, drepente excitatus a somno esset, & *finis*, qui a *צָרָב absindere* est dictus, nomen ab *וְקַץ evigilare* accepisset. Sic Amos VIII, 2. *Dixit Dominus: Quidnam tu vides, Amose? cui respondi: בְּלִי כָּלֹב קַץ canistrum AESTIVORVM FRVCTVVM*, seu sicuum. *Dixit ergo Dominus ad me: בְּנֵי Israel קָרְבָּן FINIS* (terminus ille fatalis, quo veluti fucus ad carpturam, sic Iudei ad fustinendum supplicium maturuerunt) *super populum meum Israelem*. Gen. XLII, 35. *וְיָרָא Cumque VIDISSENT fasciculos argenti sui, ipse & pater eorum, וְיָרָא TIMVERVNT*. Est hec notabilis paronomasia, qua *visio*, & *timor* ex visione ortus, ut vocum sono adfines sunt, sic eodem simul tempore & loco coincidunt. Sic Esa. XLI, 5. *רְאֵי אֱלֹהִים וְיָרָא VIDEBVNT insulæ, & TIMEBVNT; Psal. XL, 4. וְיָרָא רְבִום וְיָרָא VIDEBVNT multi, & TIMEBVNT; Ps. LII, 3. וְיָרָא קְדֻם וְיָרָא Atqui VIDEBVNT hoc iusti, & TIMEBVNT*, sanctam inde erga DEum conceptruri reuerentiam, ita ut dicant ei ex Psal. LXVI, 3. *Quam tremenda sunt opera tua! Zach. IX, 5. הָרָא אַשְׁקָלָן וְיָרָא VIDEBIT Ascalon & TIMEBIT. Ier. XXII, 22. וְיָרָא Omnes PASTORES tuos DEPASCE-TVR ventus, ut qui pauisse alios debuerant, ac visi fu-*

C 2 erant,

erant, vento pabulum fiant, ab hostibus velut a vento aufserendi. Psal. XIII, 8. וְקַרְעֵשׂ וְקַעֲשֵׂה Et concutiebatur & commouebatur, ex mente Beati nostri FRANCKII in *Introduc.* ad l.c.

§. XVI. Denique per ψ & ה inchoata paronomasiæ exempla in appellatiis sunt: Sam. I, 27. 28. *Huius pueri causa* (inquit Hanna Samuelis mater) *precata sum, deditque Dominus mibi אֶחָד שָׁאָלָתִי מַעַמֵּךְ PETITIONEM meam, quam PETIT ab illo: igitur וְego הַשְׁאָלָתִי COMMODAVI eum Domino; omnibus diebus, quod viuer, ipse שָׁאָל COMMODATVS esto Domino.* Innuens Samuel filium sibi-duplici sensu esse שָׁאָל, primo *Expetitum* a Domino, altero *Commodatum* Domino. Ier. XXX, 3. וְשָׁבְתִּי אֹתְהַ שְׁבָתוֹ שָׁרָאֵל יְהוֻדָּה Et REDUCAM TURBAM CAPTIVAM populi mei Israelis & Iude. Et est paronomasia haec, quum Verbum שׁוֹבֵד reducere Nominaibus שְׁבִי, שְׁבָתוֹ & שְׁבָתִי, captiuam multitudinem designantibus, iungitur, crebra non minus apud Scriptores sacros, quam elegans. Recurrit enim ibidem v. 18. item c. XXXI, 23. c. XXXII, 44. c. XXXIII, 7. 11. 26. c. XLVIII, 47. c. XLIX, 6. 39. Deut. XXX, 3. Ezech. XVI, 52. 53. c. XXIX, 14. c. XXXIX, 25. Amos. IX, 14. Soph. II, 7. c. III, 20. Psal. XIV, 7. LIII, 7. LXXXV, 2. CXXVI, 1. 4. Iob. XLII, 10. Thren. II, 14. Neh. VIII, 17. 2 Par. XXVIII, 11. Ut vel ex hoc crebro illius paronomasiæ vsu intelligi queat, quam trifite fuit sanctis Dei viris *captiuatis* malum, quod praeuiderunt, tam lætam eis exstisit illius mali catastrophen, qua ex *capriuis*, שְׁבִי, שְׁבָתוֹ & שְׁבָתִי dictis, leui quidem mutatione soni, sed ingenti significacionis discrimine fieri debuerunt שְׁבִיבִים reuersari & שְׁבָבוֹת reducendi. Esai. XIII, 6. & Iobel. I, 15. כָּלֵד מְשֻׁנֵּי יְבוֹא velut VASTATIO ab OMNIPOTENTE veniet: ac adeo tenti- tur,

tur, quam non abs re & *vastatio ipsa*, & *Omnipotens*, qui *vastationem inferet*, ab eodem themate acceperint nomen. Esa. XXV, 6. *Faciet Dominus Deus exercituum uniuersis populis in monte hoc* שְׁמִינִי מִשְׁמָרִים שְׁמִינִי מִזְקִינִים *conuiuium cibi PINGVEDINVM*, *conuiuium vini FAECVM*, (hoc est, quod super subsidentibus suis facibus mansit, nec transfusum est ex vase uno in alterum, indeque saporem suum integrum refinuit, coll. Ier. XLVIII, 11.) & quidem *PINGVEDINVM* medullatarum, & *FAECVM* percolatarum. Sam. XXII, 42. שְׁנִיעַן CIRCVMSPICIVNT quidem, sed non est qui *FERAT SALVTEM*; eodemque sensu & argumento Psal. XVIII, 42. יְשֻׁוֹבֵן אֶלְעָזָר INCLAMANT quidem, seu *VOCIFERANTVR*, sed non est *QVI FERAT SALVTEM*. De משפט משבח diximus sub initium §. XIV. Ier. I, 11. 12. Factum est verbum Domini ad me, dicens: quidnam tu vides, Ieremia? Dixi igitur: מִקְדָּשׁ שְׁקָדֵר baculum AMYGDALAE video. Dixit autem Dominus ad me: Reete vidisti, דְּבָרִי לְעֹשָׂה quoniam inuigilaturus sum verbo meo, ad faciendum seu exsequendum illud. Baculus igitur amygdale, que, quoniam, PLINIO lib. XVI.c. 25. auctore, floret prima omnium mense Ianuario, Martio vero pomum maturat, Hebreis a vigilando est dicta, symbolum, idque commodum satis fuit Dei, exse-quentio verbo suo inuigilaturi. Esa. I, 23. שְׁוֹרִיד סְוּרִים PRINCIPES rui sunt REFRACTARI: eodemque modo Hof. IX, 15. Omnes PRINCIPES eorum sunt REFRACTARI. De בְּלָדָה תְּבָלָד vi-deantur dicta in §. XII.

§. XVII. Ab adpellatiis paronomasis expressis Hebraicis V. T. progredimur nunc ad appellatiis expressas Graecas noui fcederis. Pertinent huc secundum seriem Alphaberi per Alpha inchoata: i Cor. XII, 2. Ad idola multa *οις ἀνθεδε, ἀπαγόμεναι, υπεκτινασθεντες*, ut cunque DV CEREMINI, (hoc est, ex mente Syri interpretis, sine discriminione) AB DV CTI. 2 Cor. I, 13. 14. Nec enim alia scribimus vobis, nisi quae οὐαγωσκετε, η καὶ εἰσηγωσκετε ἐλπίω δὲ, οὐ καὶ εἴς τέλες εἰσηγώσθε. Καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμεῖς αὐτῷ μέρες, nisi quae LEGITIS, in scriptis scilicet Mosis & Prophetarum, quorum oraculis omnia mea sunt conformia, locum sic explicante Ven. i. c. WOLFIO in *Caris*, coll. Matth. XII, 3. c. XXI, 42. vel ex mente aliorum interpretum, nisi quae NOVISTIS, aut etiam AGNOSCITIS, spero vero quod & ad finem usque AGNITVRI sitis, quemadmodum & AGNIVISTIS nos ex parte. i Cor. IX, 21. τοῖς ἀνόμοις οἱ ἀνόμοις, (μὴ ὁν ἀνόμοις Θεῶν, ἀλλ' ἔννοιος χειρῶν) ἵνα κερδήσω ἀγέμενος, Factus sum his qui SINE LEGE rituali Moysica erant tanquam SINE LEGE, (cum ramen non essent Deo SINE LEGE caritatis, sed Christo LEGE OBSTRICTVS) ut luccraver eos qui erant SINE LEGE. Pertinet huc quoque ex mente Ven. i. c. WOLFII in *Curis* T. III, pag. 592. locus Hebr. VII, 3. Απάτωρ, ἀμύτωρ, sine patre, sine matre: de qua ramen paronomasia, num intenta an fortuita fit, nihil certi nos habere fatemur. Certior est 2 Cor. IV, 8. ἀπορέμενοι, ἀλλ' εἰς εξαπορέμενοι, PERPLEXI, sed non PERPLEXITATE CONFECTI; seu HAESITANTES, sed non PRORSVS HAERENTES. i Tim. V, 13. εἰ μένον δὲ αὔρατο, αλλὰ καὶ φλύαρι, καὶ περιέργοι, Non solum vero sunt OTIOSAE, verum etiam garrulae, & CVRIOSE, hoc est, vanis potius quam solidis utilibusque deditae studiis: plane ut Apostolus 2 Thess. III, 11. Audimus, inquit, quosdam ambulare inter vos inordinate, μηδὲν ἔργα ζημένες. αλλὰ περιέργαζομένες, nihil AGENTES, sed INANITER SATAGENTES. Eodem huc i. c. SVICERVIS Thes. Eccl. Tom. II. p. 658. cum 10.

PISCA-

PISCATORE & aliis refert Rom. I, 13. ἀσυνέτες, ἀσυνθέτες, insipientes, fadifragos; succinente Celeb. WOLFIo in *Curis ad l. c.* Elegantissime vero Philippus Eunuco Aetor. VIII, 30. Ἀράγε γινώσκεις ἀ ἀγαγωσκοις; Ergone COGNOSCIS seu INTELLIGIS, quae legis? Cui gemina aliorum auctorum exempla adfert SVICERVS Thes. Eccl. To. I. p. 244. verbi gratia, illud IVILIANI apostatae ad Basilium M. in Epistolis Basili, Epist. CCVII. Ανέγνω, ἔγνω καὶ κατέγνω, Legi, intellexi & damnauit: & BASIL ad Julianum, Epist. CVIII. Ανέγνως, ἐκ ἔγνως εἰ γὰρ ἔγνως, διὸ ἀν κατέγνως, Quae legisti, non intellexisti: si enim intellexisses, minime dannassis.

§. XVIII. A litteris Δ. E. & K. inchoata paronomasia rum exempla sunt: Rom. I, 28. *Quemadmodum ἐν ἐδοκίμασιν non PROBARVNT*, multoque minus adprobarent ac debito modo affirmauerunt, *Deum habere in agnitione, tradidit eos Deus εἰς ἀδόκιμον νῦν, in mentem REPROBAM.* 2 Cor. V, 6. *Scientes quod ἐνδημάντες DVM ADSVMVS in corpore, ἐνδημάνμεν, PEREGRINEMVR a Domino;* & v. 8. *Praeoptamus potius ἐνδημήσας, PEREGRINARI a corpore, & ADESCERE* (velut domi) *apud Dominum;* nec non v. 9. *Contendimus, εἴτε ἐνδημάστες, εἴτε ἐνδημάντες, sive DOMI SIMVS, sive PEREGRINEMVR, accepti ei esse.* Rom. IV, 18. *παρ' ελπίδα, ἐπ' ἐλπίδι, præter spem, humanis nempe rationibus innixam, super spem, scilicet diuina diuinisque promissionibus suffulta.* Ioh. II, 19. *Ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, αὐτὸς ἐκ ἡμῶν ἐξ ἡμῶν.* Ex nobis exierunt (separantes se a nobis quod ad communionem externam;) sed non erant, (tum quoque, quum adhuc apud nos manerent) ex nobis, vere animis nobiscum confuncti. Hebr. V, 14. *περος διακριτη καλετε καὶ κακε, ad discretionem BOANI & MALI,* quæ duo, vt ut unica tantum littera apud Graecos discrepant, tamen e diametro sibi contraria sunt in vicem. Vide WOLFIVM illie p. 592. Rom. XI, 17. *Εἰ δέ τινες τῶν κλαδῶν ἐγενερωθησαν, Si vero aliqui RAMORVM DEFRACTI sunt;* vbi Vir modo laudatus, *Eleganter heic, inquit, Apostolus alludit ad ἔτυμον vocis κλαδος.* Hæc enim

est

εστι α κλάω, frango. Rom. II, 1. *In quo enim κρίνεις τὸν ἑτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις, IUDICAS alium, te ipsum CONDEMNAS.*

§. XIX. Porro a litteris N--F. incipientia: Hebr. V, 8. ἐμαθεν αὐτῷ ὅν ἔσται, τὴν ὑπακοὴν, DIDICIT ab his, quæ PASSVS EST, obedientiam; eleganti paronomasia, ut in vulgato illo Græcorum, quod & apud HERODOTVM lib. I. pag. 95. exstat, παθήματα, μαθήματα. 2 Cor. II, 11. Τὰ γὰρ αὐτῷ νόμιστα ἐκ ὀγκοῦμεν. Non enim COGITATIONES eius IGNORAMVS, seu quæ mente agitat ille, nos mente nequidquam transmittimus. Act. XXIII, 3.. Tunc sedes iudicaturus me κατὰ τὸν νόμον, SECUNDVM LEGEM, καὶ παρανοῶν κελεύεις με τύπεσθαι; & tamen PRAETER, immo CONTRA LEGEM AGENS, iubes me verberari? Sic Rom. II, 23. Qui in LEGE gloriaris, per transgressionem LEGIS Deum ignominia adficiſ. 1 Tim. I, 8. Bona eſt LEX, (ὅ νόμος) si quis ea LEGITIME (νομίμως) utatur. Et ibidem v. 9. Iusſo LEX (ἴομος) non eſt poſita, ILLEGALIBVS vero, (ἀδόμοις) inobedientibus, cer. 1 Cor. XII, 26. Si PATIATVR (πάχει) unum membra, COMPATIVNTVR (συμπάχει) omnia membra. Phil. III, 2. 3. Videte CONCISIONEM (τὴν καταταῦν), hoc eſt, eos, qui de circumſiſione quam maxime gloriāntur, non alia tamen, quam carniſ, & quæ cum præputio cordis haud diſſiculter conſiſtat: nos enim ſumus CIRCVMCISIO (ἢ περιτομή) qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriāmūr in Chriſto Iefu, nec in carne conſidimus. 1 Tim. VI, 17. 18. DIVITIBVS (τοῖς πλεσίοις) in præſenti ſeculo præcipe, ut ne altum ſapiant, neque ſpem collocent ſuper DIVITIARVM (πλεγτῶν) incertitudine, ſed ſuper Deo viuente, præbente nobis ABVNDE (πλεγτῶν) omnia ad fruiſionem; ut benefaciant, ac DIVITES SINT (πλεγτῶν) in operibus bonis. Rom. I, 29. īmpletoſ -- πορνεία, πονηρία, FORNICATIONE, MALIGNITATE, μεſſες φθένε, φόνε, plenos INVIDIA, CAEDE: de quibus tamen, num fortuitæ, an certo conſilio efformatae ſint paronomiae, certo compertum nihil habemus; iudicio SVICERI in Theſ.

*Theb. Eccl. To. II. p. 658. & Ven. WOLFI in Curis ad l. c. vt exempla ista heic adponeremus, permoti. Hebr. XI, 37. ἐπιράμψαν, ἐπιράμψαν, serrati sunt, tentati sunt: quo de exemplo eosdem modo laudatos Auctores vide. Rom. XII, 3. Dico per gratiam mibi datam, unicusque, qui est inter vos, μη ὑπερφρονέω παρὸ δὲ φρονέω ἀλλὰ φρονέω εἰς τὸ σωφρονέω. ne plus SAPIATIS, quam oportet SAPERE; sed SAPIATIS, ut SOBRIE SAPIATIS.*

§. XIX. Ab appellatiis transimus nunc ad paronomasias propriorum nominum, primo Hebraicas, deinde Graecas. Et Hebraicarum quidem paronomasiarum sat larga messis est; quas & ipsas alphabetico ordine, non tamen respectu radicum, sed ipsorum nominum, persequemur. Sunt autem, quae ab נ & ב inchoantur: Mich. I, 14. בְּנֵי אַבְזִיב לְאַכְזָב Domus Achzibæ (quod nomen mendacem significat) fient in MENDACIVM, seu FALLACIAM: fallent spem possessorum, vtpote non salutis futuræ, sed ab hostibus devastandæ. Hof. IX, 16. בְּנֵי יְחִישָׁן PERCVSSVS est EPHRAIM, (nempe vt percuti dicuntur vegetabilia, quum vredine taeta exarefcunt, Psal. CII, 5. & Psal. CXXI, 6. item Ion. IV, 7.) radix illorum exaruit, FRVCTVM non ferent: cum allusione ad nomen Epbraimi, quod duali numero conceptum, geminam fruificationem denotat, ex impositione patris, qui nato huic alteri filiorum suorum id nominis dedit, dicens: כו הַבְּרִנִי Quoniam FRVCTIFICARE ME FECIT Deus in terra afflictionis meæ, Gen. XLI, 52. At Hof. XIII, 15. vbi de Epbraimo pariter sermo est, coll. v. 11. deflectitur in deteriorem partem illud nomen, כ הַזָּה בְּן אֲחִיך יְפָרֵץ Quoniam ille (Epbraimus) inter fratres FEROCIT: veluti non a פְּרָצָה fruificare, sed a פְּרָצָה ferum esse ac ferocire esset appellatus Esa. XV, 8. וּבְאֶרְךְ אַלְמָם Et usque ad BEER-ELIM (quod nomen appellative

tiue pateum fortium, hoc est, a principibus populi Israelitici effossum Num. XXI, 16--18. significat) erit *VLVLA-TVS* eius; veluti non fortium amplius, sed *vlulantium*, seu *eiulantium* puteus ille dicendus esset, ab לְלִי, vel, quod loco eius venit Ioe. I, 8. נָאַתֵּן eiulauit. Amos. V, 5. נָבִיה אֶל יְהוָה רָאֹתָה Et *BETH-EL* (domus Dei, sic dicta quod Deus illic Iacobo adparuisset Gen. XXXVI, 15.) erit in *VANVM* seu *NIHILVM*; vel tractabitur, non ut DEI, sed ut INIQVITATIS domus: nomine in dererius murato. Mich. I, 11. מִסְפַּר בֵּית הַאֵל וְקַח מִכֶּם עֲמָרוֹת. *Planctus BETH-HAETZEL* (quod nomen exponi potest *Domus termini*, ab iuxta, prope) auferet a vobis *CONSISTENTIAM suam*, ita ut planctus ibi nequaquam sit terminum reperturus. Ibid. v. 10. בְּבָתָה לְעִפָּרָה שָׁבֵר דְּחַפְּלָשָׁתִי In *BETH-LEAPHRA* (adpellatiue sonat *domum pulueris*, videturque eadem esse cum שָׁבֵר Ophra, Beniaminitarum oppido Iof. XVIII, 23.) in *PVLVEREM* prosterne te.

§. XX. A ג, ד & ח inchoara: Gen. XLIX, 19. גָּד Ad *GADVM* quod attinet, (qui nomen hoc suum, *turمام* significans, inde accepit, quod mater eum olim enixa dixisset: בָּא גָּד *venit turma filiorum*) *TVRMA INVADET EVM*, sed & ipse *INVADET calcem* hostium: ac adeo nominis sui mensuram & patiendo & agendo explebit. Amos. V, 5. *Gilgalam ne veniatis,* סִי רְגַלְגָּל גָּלָה *quoniam GILGALA* (utrum olim a *devolutione* sit dicta, quod Deus illic probrum Aegypti ab Israelitis *devoluisset* Iof. V, 9.) *MIGRANDO MIGRABIT* in captiuitatem, velut non a גָּלָה volvere, devolvere, sed a גָּלָה *migrare*, esset adpellata. Hof. XII, 12. *GILEAD* (גִּלְעָד) *iniquitas, immo vanitas facti sunt, in GIL-*

**GILGALA** (גִּלְגָּל) boues immolarunt; etiam altaria illorum idololatrica sunt magno numero *velut ACERVI* (אֲכֵרֶב) super fulcis agri: vbi גִּלְגָּל acerui alludit ad utrumque antegressorum nominum, ad גִּלְגָּל Gilgalam sono, ad גִּלְעָד vero seu *Gileadum*, etymologia & deriuatione, quia idem valet ac Gen. XXXI, 52. *עד גִּלְעָד* testis est acerius hic. Esa. XV, 9. *Aqua DI MOAE* (vrbis Moabiticæ, dicta a sterquilino, vel, quia & דְּבַרְןָה vocatur, a fluxu & liquore, coll. Hebr. זָבֵחַ, fluere, liquidum evadere) implebuntur *SANGVINE*: ac adeo Dimona in posterum non tam ab aquarum, quibus abundat, fluxu, quam a cruento sanguinis nomen habebit. Gen. XLIX, 16. *דָּן יְהֹוָה עֲלֵיכֶם בְּאֶחָד שְׁבָט יִשְׂרָאֵל DAN*, (quod nomen iudicem significat, impositum filio Bilhæ a Rahela, sub addita ratione, *דְּנֵנִי אֱלֹהִים iudicauit me Deus*, Gen. XXX, 6.) iudicabit populum suum sicut una tribuum *Israelis*: nomen proinde habiturus & omen. Ier. XLVIII, 2. *בְּחַשְׁבּוֹן חַשְׁבּוֹ שְׁלֵיחָה נְעָזָר*. In *HESBONE*, munitissima Moabitarum vrbe, eaque a *חַשְׁבּוֹ cogitare dicta, COGITABVN* hostes aduersus eam (Moabitidem) malum.

§. XXII. Litteras <sup>ל</sup> preferunt exempla paronomasiae in nominibus propriis: Gen. XLIX, 8. *וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהֹוָה יְהֹוָה אֶתְתָּךְ IVDA, te, te LAVDABVNT fratres tui;* adeoque fies, quod nomen tuum dicit, id est, laudatus, quemadmodum mater tua, cum te peperisset, dixit: *Hac vice LAVDABO Dominum, indeque vocauit nomen tuum IVDA*, Gen. XXIX, 35. Hos. II, 25. *וְנִרְאָה לְיְהֹוָה בְּאֶרֶץ IEZREELAM* v. 24. SEMINABO eam (nempe *וְנִרְאָה IEZREELAM* v. 24. que vero regni olim Israelitici tribus heic designat) *mibi in terra, instar fecundi feminis*, quod in agro sparsum centenis,

tenis, sexagenis, tricenisque multiplicatur fructibus: & ita quidem fiet **וְרֹעֵא Seminata a Deo** in bonam partem, vti hucusque fuit in malam partem, coll. c. I, 4. Gen. XXVII, 36.

**תְּכִי קָרָא שָׁמֶן עַקְבָּה וְעַקְבָּנִי זָה גָּעַטְנִי** Num, quia vocatum est nomen eius **IACOB**, (a tenendo calcaneo Gen. XXV, 26.) **SUPPLANTAVIT**, seu insidiose & velut a tergo & calce **CIRCVMVENIT** me iam bis? Gen. IX, 27. **וַיְפַת אֶלְחָם לִיְפַת** **DILATET** Deus spatium **IAPHETHO**; vt fiat quod nomen eius sonat, nempe **Dilatarus**: a Chald. **פָּתָה** latus fuit, vnde **latitudo** eius Dan. III, 1. Neh. IX, 24.

**וְהַכְּנֵעַ לְפִנְדָּם אֲתִי שְׁבִי הָרֶץ דְּבָשָׁנִים** Et **HVMILIAVISTI** coram eis incolas terrae **CANANAEOS**; vt fierent **Cananei** id quod nomen illorum significat, nempe humiliati. Ezech. XXV, 16. **וְהַכְּרֹתִי אֶת־כְּרוּתִים** Et **exscindam** **Cretbaeos**, (id est, Philistaeos, coll. Soph. II, 5. qui vero heic synonyma voce adpellantur **Cretbei**, vt allusio fiat ad **exscindere**, vnde id nominis duellum. Num. XVIII, 2. **Et etiam fratres tuos, tribum LEVI** (לְוִי), **stirpem patris tui**, adduc tecum, vt **ADIVNGANTVR** tibi in ministerio sacro: a quo **adiungendi** Verbo ipsum huius tribus nomen est dictum Gen. XXXI, 34. Mich. I, 13. **Junge currum** (לְרַכֵּשׁ יוֹשֵׁבָה לְכִישׁ) **CELERİ EQVO**, **habitatrix LACHISCHAE**, acsi non *Lachischa*, sed *Rachischa* a celeri equo nomen obtinuisses.

§. XXIII. Auspicales litteras **נָסָר** habent haecce: Ier. XLVIII, 2. **גַם מַרְמֵן תְּרֻמֵּי** Etiam, vrbs **MADMEN**, **EXSCINDERIS**. Nempe urbis nomen est a **רַמֵּן**, **excidi** vero vocabulum a **דָמֵן**: quae ambo, vt sono, sic significacione conueniunt. Mich. I, 14. **Propterea dabis** (o filia Tzionis) libellum **DIMISSIONIS** super **MORESCHETH-Garb**, ita vt iuri tuo in hoc oppidum *Morescherb*, (siquidem

dem ut proprium vrbis cum interpretibus quibusdam accipere velis) in vicinia vrbis *Garb* sitam, quæ ab hereditate nomen indepta est, renuncies. Ibid. v. 12. *Quoniam INDOLVIT*, idque dolore amarissimo, יושבת מִרְוָת habitatrix *MAROTHAE*, quæ ab amaritie sic dicta. Item v. 15. שֶׁד חַזֵּשׁ אָבִי לְךָ יוֹשְׁבָת מִרְשָׁת Adhuc HAEREDEM (alium, eumque hostem) adducam tibi, habitatrix MARESCHAE, velut ab hereditate nomen indeptæ. Sam. XXV, 25. *Vt nomen eius,* כִּשְׁמֹו כִּנְבָּל שְׁמוֹ וְנְבָלָה עַמוֹּ, sic ipse est : NABAL (quod stultum notat) est nomen eius, וְSTVLTTIA apud ipsum est. Ruth. I, 20. Ne vocetis me נָעֲמִי NOOMIN, i.e. amaritatem: vocate me potius MARAM, id est, marentem ac pœnam. Mich. I, 15. שֶׁד עֲדָלָם יְבָנָה VSQVE AD ADOLLAMVM (quod nomen ab initio easdem habet litteras ac Particula præcedens שֶׁד usque ad) veniet heres iste hostis. Soph. II, 4. שְׁזָה שְׁזָבָר GAZA erit DESERTA: cum allusione ad initiales vocum litteras, vti paulo ante in Mich. I, 15. Esa. XXI, 2. עַלְיָ שְׁלָמָן Adscende gens Elamitica, veluti haec ab adscendendo esset dicta: ita saltem ADR. RELANDVS in *Palaestina* p. 1056. sq. Eccl. X, 3. עֲנָנָה עֲנָנָה o MISERA ANATHOTH, q.d. vrbs miseriarum seu adfitionum. Soph. II, 4. וְעַקְרֹן הַעֲקָר Et EKRON ERADICABITVR. Esa. XVII, 2. עַרְיָ שְׁרָר VRBES AROERAE, ampla illius vrbis, quæ velut vrbis vrbium adpellari possit, gregibus cedent.

§. XXIV. Denique a גְּנָא inchoatae paronomasiae Hebraicæ exempla in nominibus propriis haec sunt : Dan. V, 26 -- 28. מְגָא מְגָה אֱלֹהָא מְלֻכָּה וְהַשְׁלָמָה תְּקֵל תְּקֵלָה בְּמְאוֹנָה וְהַשְׁתְּחַחָה חַסְיר פְּרָסָה פְּרָסָה מְלֻכָּה וְיַחַת לְמִזְרָח Quod ad vocem MNE, (quæ definitum denotat) DE-

FINIVIT Deus regnum tuum, & absoluit illud; quod vero ad THKEL (adpensum), ADPENSVS es in bilance, & inuen-  
tus deficiens; & quod ad PRES (diuifum), DIVISVM est  
regnum tuum, datumque Medis & PERSIS: in quibus ver-  
bis tergemina est, & in vltimo quidem membro duplex  
paronomasia vocis Pr̄es, non solum ad diuifum est, ve-  
rum etiam ad Persas. Mich. I, 11. לא יִצְאָה יוֹשֵׁבֶת צָבָן Non EXIBIT amplius, gregesque pecoris sui lata educet  
habitatrix T'ZAAANAN, loci ab exira vel pecore (צָאן) dieti. Esa. XIII, 4. הַזֹּה אֲבָאוֹת מִפְקָד אֱבָא מִלְחָמָה Dominus Deus EXERCITVM histrat EXERCITVM bellum, nomini suo, quo Deus exercituum audit, reipsa satis-  
factorus. Zach. IX, 3. וְתַבְנֵן צֹוֹ מִצְוָה לְהֵן Et ædificauit TYRVS (quod nomen Hebreis ab eodem est themate, a quo sequens adpellatiuum) MVNIMENTVM sibi. Num.  
XX, 12. Propterea quod non credidisti in me, (inquit Deus ad Mosen & Aaronem) ut לְהַקְרִישֵׁנִי SANCTIFICASSE-  
TIS me, cet. cui auctor historiae notable subiungit epi-  
phonema v. 13. Istæ sunt aquæ contentionis, vbi conten-  
derunt Israélitæ cum Domino, קָדֵש בָּסָר & SANCTI-  
FICATVS est in eis: vbi membrum unum inuoluit paro-  
nomaisticum respectum ad alterum; vtrumque vero adludit  
ad proprium illius loci קָדֵש Kadesch, id est, sanctus v. 16.  
Plane ut & c. XXVII, 14. Immorigeri fuiſſis mandato meo-  
eo tendenti, ut לְהַקְרִישֵׁנִי SANCTIFICASSETIS me in  
aquis istis coram oculis eorum, חַם מִרְבָּה קָדֵש מִרְבָּה אֶזְרָן  
Istæ sunt aquæ contentionis KADESCH (loci non sine omi-  
ne ac emphasi a sanctificatione dicti) in deserto Tzin. Num.  
XXIV, 21. Cumque vidisset קְנִיטָם, -- valida  
est, inquit, habitatio tua, & positus in rupe קָבֵץ NIDVS  
tuus; quasi גָּוָג Keniza a יְהָנָם nidus nomen sortitus esset.  
Mich.

Mich. I, 11. *Transi tibi, habitatrix שָׁעַר SCHAPHIRAE,*  
*(vrbis a pulchritudine sic dictæ) NVDATA PVIDENDIS,*  
*ac adeo deformati incedens habitu, & pulchro spoliata orna-*  
*tu. Ier. VI, 1. וְתִקְשֹׁו שָׁפֵר Et in THEKOA (quod*  
*oppidum a clangendo nomen habet) CLANGITE buccina.*

§. XXV. Ex N. Testamento Græco nulla expressæ  
 in propriis nominibus paronomasie exempla, nisi hæc duo,  
 succurrunt nobis: Philem. v. 10. 11. *Rogo te de filio meo,*  
*quem genui in vinculis meis, Onesimo; vel, si quis propter*  
*casum nominis malit, quem genui in vinculis meis Onesi-*  
*mum, vt nomine sic omne velut Vtillum: τὸν πρότερον ἀ-*  
*χερησθεῖν, νῦν δέ σοι καὶ ἐμοὶ ἔνυχενσιν, olim tibi INVtilem,*  
*nunc vero tibi & mibi VTILEM.* Respicitur heic ad adpellatiuum significationem nominis Ὀνήσιος, vtilis, qui iuuare  
 & prodeſſe potest, qui fruendum se aliis dat: coll. in hac ipfa  
 Epistola v. 20. εγώ σε ὄνταί μην οτιναν με  
 XVI, 18. Σὺ ἀ πέτρος, καὶ εσθι ταύτη τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω με  
 τὴν ἐκκλησίαν. Tu es PETRVS, (quasi Perræus & Saxeus)  
 & super hac PETRA ædificabo ecclesiam meam.

§. XXVI. Considerauimus hucusque expressas tum  
 in adpellatiuis, tum in propriis nominibus paronomasias:  
 adiiciemus nunc tacitas & latentiores paronomasias, itidem  
 primo in adpellatiuis, deinde in propriis. Ex adpellatiuis  
 Hebraicis hoc perrinent: אלִילִים Deaftri ac velut nibila,  
 pro בְּנֵי אלִים vel אלִים Dii, passim; v.g. Leu. XVI, 4. c. XXVI,  
 1. Esa. X, 10. c. XIX, 3. de quo conser superius dicta sub ex-  
 pressa paronomasia §. IX. p. 13. Esa. XIII, 22. Et alternis cla-  
 mabunt thoes בְּנֵי בָּנָיו, q. d. in VIDVIS eius, pro  
 בְּנֵי PALATIIS eius, sc. regis Babylonie; po-  
 sciente hanc explicationem analogia membrorum sequentis,  
 נְגָמִים בְּנֵי נְגָמִים & dracones in arcibus voluptuariis. Sed  
 est Antistechon illud paronomasticum, innuens, palatia  
 illa veluti viduata & incolis hominibus vacua esse futura:

eo fere modo, ac si ad imitationem huius schematis diceretur Latine in fallacis pro in palatiis, eius. Esa. LVI, 10. Improbi doctores populi Iudaici vocantur **הַזֹּה**, id est, secundum τὸν ὅτι εἰνῶνας γένεναι σομιάντες, inuidioso significatu, vt in Epist. Iudee v. 8. ex significatione, quam Verbum ad fine οὐδὲν apud Arabes haber, *deliravit in loquendo, absurdus locutus fuit mentis impos.* Estque (vt cocevis in Lex. Hebr. sub מְלֵא iam notauit) occulta paronomasia ad **מְלֵא VIDENTES**, qui prophetarum apud Hebræos titulus fuit. Psal. II, 9. **בָּרוּךְ אֶת־שְׁבָט**, CONFRINGE eos pedoferreo, pro **מִשְׁרָחָת pascēt eos**, quod ex veteribus metaphraſtis exhibent LXX, Syr. Arabs & Aeth. nec non Vulgatus Lat. reges eos. Si paronomasiam hanc tacitam exprefſius efformare velles, ita haberet: *Pedo non ligneo illo, quali paſſores in regendis ouibus vti ſolent, ſed ferreo & extirabili, nicht mit dem Stab Sanft, ſondern mit dem Stab Web, Zach. XI, 7. nec שְׁרָחָת pascēt, ſed מִשְׁרָחָת confringes eos.*

§. XXVII. Ex adpellatiis Græcis N.T. in hoc censu ponuntur: 2 Pet. II, 13. de hereticis quibusdam primitiæ ecclesiæ Christi, ἐπερφόντες ἐν ταῖς ἀπάταις ἀντῶν, συνενωχθέντες ὥντιν, Oblectantes ſe in DECEPTIONIBVS suis, convivantes vobis cum. Pro quo in Epift. Iudee (inter quam & hanc posteriorem Petrinam ſumma eſt vocum rerumque conuenientia) v. 12. ita: Οὗτοι εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σωτηρίᾳς, συνενωχθέντες, ἀφόβως ἔαυτὲς ποιειν τοὺς, Hi ſunt in AGAPIS vestris labes. coniuantes, ſine timore ſeipſos paſſentes. Vnde & ſuperiore loco codices nonnulli & verſiones pro ἐν ταῖς ἀπάταις habent ἐν ταῖς ἀγάπαις. Sed rete illic Ven. WOLFIUS in Curis: Quod ad me attinet, Petrum ἐν ταῖς ἀπάταις ſcripſiffe non dubito. Nec fortaffe fallar, ſe dixero, eundem Apoſtolum ad ἀγάπας illas, quas Iudas com memorat, alluiffe, & data opera ἀπάταις appellaffe, tanquam in quas illi quidem ἀγάπας conuerterint. Act. XI, 23. de Barnaba: παρεκάλει, ADHORTABATVR omnes, ut proposito

*postro cordis adhærerent Domino*, explens hoc ipso nominis sui, quod ab Apostolis acceperat, mensuram; utpote quod interpretatione redditum, est *νικη παρελήσως filius adhortatoris*, seu *ADHORTATOR A&T. IV, 36*. Sic vocabula quædam cum *παρὰ* composita, aut decomposita, heic illuc occultam continent paronomasiam, vt i Tim. VI, 5. *παραδιατριβαῖ disputariones*, sed falsæ, malæ, inanæ atque ineprà, quales sunt (vt ibidem additur) *bominum corruptam mentem habentium*, & *priuatorum veritate*; cum contra *διατριβαῖ philosoporum sint disputaciones*, & *παρὰ πραpositio in multis compositis vitiet*, quod Ven. WOLFIUS ex Boſio ad h. l. adnotauit. Col. II, 4. *Vt ne quis vos παραλογίζηται, ratiociniis circumueniat*, PARALOGISMIS potius, hoc est, deceptorii fallacibusque argumentis, quam veris & sanæ logicæ conuenientibus, vtens SYLLOGISMIS: unde & additur ibi, ἐν πιθανολογίᾳ sermone plausibili, seu oratione sophistica. Iudæ v. 4. *παρεσέδυσαν, subintrarunt, irrepererunt, non εἰσέδυσαν, intrarunt*; Gal. II, 4. propter falsos fratres, τοὺς παρεσάλλεσσι, irreptiōis, subintroductōis clam & furtim, non introductōis simpliciter, falso debito modo, οἵτινες παρεσῆλθον, qui non ingressi, sed subingressi sunt, seque furtiu ratione ingesserunt.

§. XXVIII. Porro ex nominibus propriis Hebraicis latenter faciunt paronomasiam: אֶפְרַיִם Ephraim in illo Gen. XLIX, 22. בֶן פֹּרוֹת יוֹסֵף בֶן פֹּרוֹת עָלִי עַן Filius (ramus) FRUCTIFERAE arboris vel vitis, est Iosephus, filius fructiferae, inquam, plantatae iuxta fontem; cum allusione ad illud omen Iosephi in nominando filiorum suorum altero Gen. XLI, 52. Nomen alterius vocavit אֶפְרַיִם EPHRAIM, (a gemina fructificatione) quia FRUCTIFICARE me fecit Deus in terra afflictionis meæ. אֶדְוָם EDOM, pro quo Esa. XXI, 11. mutata nominis forma, venit דָבְמָה DVMA. Nempe vt Ven. D. MICHAELIS ad locum illum notauit, *Nomen*

E

est

*est paronomasticum seu allusuum, q. d. ad SILENTIVM redigenda insolenter clamosa gens: vel ex alia, quanquam huic cognata nominis significacione, excindenda.* Certe non *Dumam* Ismaeliticam Arabia Gen. XXV, 14. sed paronomastice *Idumæam* (vti LXX Interpretes reddiderunt) intelligendam esse, colligi potest ex subiuncta ibidem mentione *Seiriticæ* regionis: vt pote quæ non Ismaelitarum, sed Idumæorum fuit, coll. Gen. XXXVI, 8. Item בֵּית אַנְּבָת DOMVS INIQVITATIS vel VANITATIS, seu vanissimorum idolorum, pro vero oppidi nomine בֵּית אַל DOMVS DEI, Hof. IV, 15. Ne adscendatis BETH-AVEN. Recte enim D. KIMCHI in Comm. ad h. l. *Hez*, inquit, *Bethel est, ubi fuit alterius virulorum aureorum. In deterioriem vero partem, & conuicii causa, vocat eam Bethauen.* Quoniam Iacobus pater noster vocauerat locum ipsum Bethel, propter visionem & adparitionem Dei sibi illic factam Gen. XXVIII, 19. postquam vero Ieroboamus virulum illicit statuisset, mutato nomine vocauerunt eum Prophætæ Bethauen, quia vitulus iste vanitas inanitasque fuit. Sic & Hof. V, 8. Vtrobique tamen non sine allusione ad locum Bethel vicinum, vero nomine suo dictum Bethauen Ios. VII, 2. c. XVIII, 12. 13. Valebat enim heic, quod nobis in proverbio est, daß wo Gott eine Kirche bauet, der Teufel eine Capelle daneben bante. Porro vel בְּשָׁת, qs. dicas pudor, pudendus deyster, per modum conuicii, pro בעל Baale, quod nomen, Dominum significans, cum in se honorificum esset, turpi abusu turpisissimo cesserat idolo. Ut Ier. XI, 13. Pro numero vicorum Hierosolymæ posuistis altaria PVDORI, pro בעל לְבִשָּׁת Baali. Hof. IX, 10. Separarunt se לְבִשָּׁת PVDORI. Vnde & LXX Græci, quod 1 Reg. XVIII, 19. in Hebræo textu est נְבִיא הַבָּעֵל prophetas Baalis, secundum plerasque editiones exhibent τες φίτας της αἰχμῆς: indidemque variatio in nominibus propriis,

priis, vt 2 Sam. XI, 21. יְרֻבֶּשֶׁת Ierubbescheth, pro רַבְעֵל Ie-rubbael Iud. VI, 32. item 2 Sam. IV, 4. מִפְבָּשֵׁת Mephiboscheth, idem qui מְרִיב בְּשֵׁל Merib-baal 1 Par. VIII, 34. vel מְרִיב בָּעֵל Meri-baal c. IX, 40. & אֲשָׁבָעֵל 1 Par. VIII, 33. כֹּל אֶחָד עֲקָב בְּשֵׁת 2 Sam. II, 8. 10. Sic Ier. IX, 3. יְעַקָּב Omnis frater supplantando supplantat, seu circumueniendo circumuenit, cum allusione ad nomen Iacobi, coll. Gen. XXV, 26. q. d. Sunt Iacobaei, sed alio prorsus, & deteriore significatu, quam progenitor illorum Iacobus. מצור MATZOR, qs. munimentum, munita regio, 2 Reg. XIX, 24. אֶסְתָּר Esa. XIX, 6. c. XXXVII, 25. Mich. VII, 12. pro מצורי Aegypti, quæ a natura est munitissima, עַוְרָה דְּרָעָס עַוְרָה destructionis, Ef. XIX, 18. cum allusione ad celebrem Aegypti vrbem עַיר הַחֲרָס vrbem solis, Ηλιαπόλις, Heliopolin. עַכְרָה & עַכְרָה qs. Turbatus vel turbator 1 Par. II, 7. Ios. VII, 24. Hos. II, 17. pro עַכְנָן Achán Ios. VII, 1. nempe quia is fuit עַכְרָה turbator Israelis 1 Par. II, 7. inde que miso tuo vicissim turbatus, secundum illud Ios. VII, 25. Quare conturbauisti nos? Conturbet te Dominus!

§. XXIX. Ad eandem hanc exemplorum classem ab aliis quibus & haec sequentia referuntur: Psal. VII, 1. קַשְׁ� Cusch, q. d. Aethiops, homo incorrigibilis, qui vt Aethiops cutem, sic mores non mutat, coll. Ier. XIII, 23. & Amos IX, 7. pro Saulo filio קִישְׁכִי Kischi. Mich. VII, 18. מי אל כְּמָךְ Quis est Deus sicut tu? Quasi Propheta ad suum ipsius allusisset nomen מִיכָּאֵס vel Michæas, id est, Quis sicut Dominus? Mal. III, 1. Ecce! missurus sum מִלְאָכִי angelum meum, quasi novum Malachiam, coll. c. I, 1. Item Iud. XVIII, 30. Improbus ille Leuita Ionathan filius Gershom, קָנָן מְנַשֶּׁה filii Manassis, cum Nun suspenso, ad innundum, fuisse hunc quidem nepotem Moses, viri Dei, sed dignum, qui potius improbo regi Manassi, quam Mo-

*ſe*, filius transcriberetur. Ier. XXIX, 24. נְחֶלֶם *Nechelamæus*, pro *Nachamæus*, a Nachamo, 1 Par. IV, 19. quasi allusisset Ieremias per epenthesin vnius litteræ ℒ, vt perstringeret illius *Nachamæi* studium erga pseudoprophetarum *Somnia*, coll. HILLERI Onomaſt. S. p. 235. Sed hæc quidem exempla nobis adhuc dubia esse videntur.

§. XXX. Ex *N. Testamento* hoc pertinere putantur: בֵּעֵל־צְבָא Matth. X, 25. pro *Beelzebub*, quod *muscarum Demum*, sicut illud prius nomen, in dexterius verbum, *stercoris Demum* notare potest. Vide CIVL. SVRENHVSII בֵּבָדָל καταλλαγῆς p. 88. Σιχάρ pro Σιχήμ vel Συχέμ, Ioann. IV, 5. quasi nomen שִׁכְמָה *Sichemum* ab Iudeis in רְקַש *Sicbar*, hoc est, *mendacium, falsum, ludibrii causa refutum* esset, ex coniectura *Adr. Relandi* Dissert. Miscell. P. I. p. 141. adprobante Ven. WOLFIO in *Curis* ad l. c. Traxit hoc quoque CAMP. VITRINA To. II. Thesauri Noui Disputatt. p. 987. locum 2 Petr. II, 15. Secuti viam Bileami, τὸ Βοσόρ filii Bosor, pro בֵּר Beor Num. XXII, 5. quasi Apostolus allusisset ad vocem בְּשָׂר *caro*, subindicaturus, Bileamum suadendo voluptatum carnarium usum merito filium Bosor, h. e. *carnis* adpellari. Quomodo & SVRENHVSIVS in בֵּבָדָל καταλλαγῆς p. 692. nec non Ven. WOLFIVS ad l. c. Existimamus tamen, hanc differentiali potius a diuersitate dialecti rep̄etendam esse, vt quod scribitur בְּרֹא, Hebraice בְּצָר, coincidat cum בָּרָע, litteris וּ וּ commutatis, vti in רְבֻע & רְבֻע cubuit, רְצַח & רְצַח, itemque שְׁעָר concusſit, צָק & צָק coarctare, צָר & צָר hostis, cet.

§. XXXI. His haec tenus de Paronomasia sacra diectis luet nunc per modum ἐπιμέτρων obſeruationes quasdam, ad idem hoc argumentum ſpectantes, adiicere. Obſeruatio prima: Paronomasie manent ut plurimum prærogatiua & priuilegium textus & linguae originalis, præversionibus & linguis, in quas textus facer eſt transſufus. Quamuis enim

enim optandum esset, ut quidquid Spiritus S. in originali textu dilucide intendit signauitque, ac adeo paronomasia quoque, in versionibus exprimi posset; tamen quia linguis linguae non per omnia respondent, hinc ordinarie vsu venit nobis, quod B. AVG. HERM. FRANCKIUS introduct. ad Psal. XLIX, 21. inculcauit: *Paronomasie Spiritus sancti merito nobis sunt præciosissimæ, neque ab interprete quoquam in versione exprimi possunt: ut adeo verum sit, quod ROB. BOYLE in aurea illa dissertatione de stilo Scripturæ sacræ admonuit: quemadmodum ne præstantissimum quidem pictor imaginem aliquam ita perficere posse, ut omnem oculorum hominis vigorem atque lucem perfectè reperaseret; ita nec interpretem Scripturarum adeo perfectè ac plene sensum sonitum reddere posse, quin supersit aliquid in ipsis fontibus, quod non exhaufierit.*

§. XXXII. Aliquando tamen contingit, (quæ sit observationum altera) ut paronomasiæ textus authentici in versionibus ipsis & potuerint exprimi, & expressæ sint. Dicimus primo, expressæ sunt, quanquam presius aliae, aliæ languidius: ut Prou. VI, 23. וְתֹרַה elegantissime interpres Lat. vulgatus, & lex lux; Act. VIII, 30. Αράγε γυνώτκεις ἀναγνωσθεῖς, idem Vulg. *Putasne intelligis quæ legis?* Sic B. Luth. illud Esa. VII, 9. אָמַן כִּי לֹא אָמַן || קָנָה, *Glaubt ihr nicht, so bleibt ihr nicht;* Gen. IV, 25. Vocauit nomen eius (שֵׁת) Seth, sub ratione, quoniam (שֵׁת) posuit mibi Deus semen aliud loco Habel, Luth. den biefs sie SETH. Denn Gott hat mir (sprach sie) einen andern Samen GESETZT für Habel. Sic Matth. XVI, 18. etiamsi Christus ad Petrum procul dubio Syro-chaldaica dialecto locurus fuerit, tamen Euangelista paronomasiam Græce æque feliciter expressit, Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ επὶ ταῦτῃ τῷ πέλρᾳ οἰκοδομήσω με τὴν ἐκκλησίαν; indidemque vicissim Syrus, אַנְתָּךְ תִּהְפְּכָה וְלֹא תִּהְפְּכָה אֲבֹנָה לְעֹתָה,

& Vulg. *Tu es PETRVS, & super hanc PETRAM adiscabo ecclesiam meam*, vterque pari felicitate, quæ cessat contra in versionibus aliis, v. g. *Arabica, Aethiopica & vernacula B. Lutheri.* Dicimus autem secundo, potuerunt alicubi exprimi paronomasie: ut Ex. XII, 13. *וְפָسַחַתִּי עַל בָּנֶיךָ וְפָסַחַתִּי עַל כָּבֵשׂ tansibo iuxta vos*, cum respectu ad *Passa* v. 12. Gallice *Je passeray*, indeque vernaculo sermone, *ich will vor euch vorbey passiren.* Ier. LI, 44. *ונקרתי על בָּנֶיךָ וְהַצְאָתִי אֶת בָּנֶיךָ מִן Animaduertam in BELVM in BABELE, & ciiciam BOLVM eius ex ore ipsius.* Ezech. XXV, 16. *הַכְּרֹתִי אֶת כְּרוֹתִים CVR TABO GRE-TAEOS, seu faciam, ut CRETAEI fiant CVRTI.* Hof. II, 18. *Und wirft mich nicht mehr mein BUHLE (quod nomen & ipsum, æque ac Hebr.,  
בעל, mediae est significationis, & in bonam malamque potest capi partem) nennen, coll. v. 19. Denn ich will die Nahmen  
(הבעלים) derer BAALEN (oder BUHLEN) austrotten.* Hof. XIII, 15. *כִּי הוּא אֱפָרָם (בן אחיכם יְפָרָא)  
IM, seu EFRAIM inter fratres FEROCIT, seu EFFERA-TVSEst. Soph. II, 4. וְעַקְרֹז הַעֲקָרָה אֲמָרָה אֶת  
VERV (i.e.telo) transfigunt cum, nec VERENTVR, Psal. XCVI, 5. כָּל אלהים  
העמים אַילְלִים Omnes DII gentium sunt DEASTRI.*

§. XXXIII. Observatio tertia: In primis vero Paronomasie sacrae V. Testamenti imitabiles aliquando sunt illis linguis, quæ cum Hebreæ adfinitatem maiorem habent, ut sunt Chaldaica, Syriaca, Arabica. Hinc Gen. XI, 9. *Propterea vocatum est nomen eius בָּבֶל BABEL, quoniam ibi CONFDIT Dominus labium torius terræ;* non minus expresse *Onkelosus Chaldaice, כל עריא בבל יי' לשין כל עריא, & Arabs temque Syrus, כל בבל מריא לשנא דבלת ארשי* תנו.

in Polyglott. Engl. בְּבָבֶל אֱלֹהָה לְשׂוֹן אַדְלָאָרָץ : quin & Latine imitari posses paronomasiam hoc modo : *balbutire fecit*, cet. Sic Gen. XXVII, 36. *Num quoniam vocatum est nomen eius IACOB, וַיַּעֲקֹב נִזְבֵּחַ CIRCVMVENIT me*, Arabs in Polygl. Engl. קָרְבָּן תַּעֲקֹב, eodem significatu non minus quam fono.

§. XXXIV. Observatio quarta: Vt igitur paronomasiæ sacræ, secundum observationem primam, argumentum omnino præbent *τὴν ἀνθετικὴν* & originariae librorum sacrorum linguae, coll. B. IVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI *Collegio nouiss. controversiar. c. II. §. 3. pag. 104.* sic tamen observationum nostrarum altera terciaque suadent debitam in vrgendo hoc argumento circumspectionem & cautelam: nempe requiruntur 1) ut manifestum sit, paronomasiam non esse fortuitam, sed studiose ab auctoribus sacris quæsitam, intentamque; 2) ut liqueat item, paronomasiam non communem aliis linguis & æque imitabilem, sed textui originario esse propriam; 3) ut argumentum hoc non uno forte tantum aut altero, sed omnibus, quæ in authentico textru occurrent, paronomasiæ exemplis nitatur; 4) ut coniungatur cum aliis argumentis, eandem rem probantibus aut illustrantibus. Hoc modo si argumentum adhibetur, virique valebit ad efficiendum, Fragmentum illud Danielis apocryphum de Susanna, primitus non Hebraice aut Chaldaice esse scriptum, sed Græce, propter paronomasias Græcas, quibus Daniel nebulonum vni, aienti se vidisse Susannam cum adultero iuuene conuersantem ὥπο ῥχνον sub lentisco, respondit: *Angelus - ρχσι σε μέτον* findet te medium; alteri vero, qui ὥπε τη πρώτων sub ilice dixerat, πελσαί σε μέτον scindat te medium, v. 54. 55. 58. 59. Illustrabitur indidem, Epistolam ad Hebreos non Hebraicæ, sed Græca lingua scriptam, propter paronomasias illas Græcas, v. g. c. V, 8. ἐπαθεν - ἐπαθε: quod argumentum illustrat & vindicat contra *Hallettum Ven. WOLFIUS To. III. Curarum p. 836.* Denique sequetur hinc, Hebraeorum magis

magistros ex illo Gen. II, 23. *Hæc vocabitur אִשָּׁה mulier* (qs. *VIRA*), *quoniam מֵאִישׁ ex VIRO sumta est hæc*, non male collegisse, linguam Hebraeam non modo originariam esse linguam Pentateuchi Hebraici, verum etiam omnium antiquissimam & primæuam. Qua de re ita habent in *Brescbitb-Rabba Scđt. XVIII. p. 15. b.*

מְכַאַן שְׁנִיחָנָה הַחֹוֶרֶת בְּלִשׂוֹן. ר' פְּנַחַס וּר' חַלְקוֹה בְּשֵׁם ר' סִימְנוֹן אָמַר כִּי שְׁנִיחָנָה הַוּרָה בְּלִשׂוֹן הַקּוֹדֵשׁ כִּי נְבָרָה הַעֲלָה בְּלִשׂוֹן הַקּוֹדֵשׁ. שְׁמֻעָה מִימְךָ אָמַר גַּנְיָה גַּנְיָה. אַנְתּוֹרֶפִּיתָ גַּבְרָה גַּבְרָה. אַלְאָ אִישׁ וְאִשָּׁה לִמְהֹן אַנְתּוֹרֶפִּיתָ שְׁהַלְשׁוֹן הַזָּהָה כּוֹפֵל עַל הַלְשׁוֹן הַזָּהָה.

R. Phinechas & R. Chilcia sub nomine R. Simonis dixit: *Quemadmodum data est Lex in lingua sancta, ita & mundus creatus est in lingua sancta. Numquid enim unquam audiuiisti, virum & mulierem Græcis dici γυνὴ & γυνὴ, aut ἄνθρωπος & ἄνθρωπια, Chaldæis vero Gabra & Gebartha, quemodcum Hebræis Isch & Ifcha? quare vero? quia in Hebræo Masculinum & Femininum sōno coincidunt.*

§. XXXV. Obseruatio quinta: Paronomasiæ non ficta quidem, sed vera tum locorum tum personarum supponunt nomina: attamen eadem faciunt subinde, ut nomina tum propria tum appellatiua aliam subinde a regulari & ordinaria formam, aliamque accipiunt orthographiam, eam nempe quæ paronomasiis sit adcommodatior, quam quæ vsu plurimum obtinuit. Quod ad prius, vrget id iure ADR. RELANDVS in *Palæstina* lib. III. sub *Tzaanan* pag. 1056. Sunt, inquit, qui putent, nomen hoc urbis, vti & alia eodem capite primo Michæ memorata, esse ficta a propheta, tantum ut paronomasiam inveniret, istiusmodi nomen locis daret, quod conueniret cum rebus, quas de ipsis scribere proposuerat. Verum hoc mihi non persuadebitur; primo quidem, quia constat, quædam ex iis nominis

nomibus esse vera nomina locorum existentium, uti *La-chis*, *Schaphir*, *Acbzib*, *Marescha*, *Morescheth-Gath*, *Maroth*, quibus inservere nomina sita urbium utopicarum non videtur congruum. Secundo, quia omnis elegantia paronomastica perit, si nomina locorum fingere liceat, & hoc unusquisque de re locoue quilibet facere potest. V. g. pulcrumne est aut elegans, si dicam, dolebit Dolia, & ridebit Ridium, quoniam nomina haec non sunt locorum vera, sed confusa? E contrario, si loca illa vere existunt, apta sit paronomastica, uti, capiatur Capua, cremetur Cremona. Pungere vir doctissimum videtur, quamuis nomini parcat, MATTH. HILLERVM, utpote cui in *Onomast.* S. p. 950. sq. nomina illa Mich. I, 10--15. non tam visitata, quam paronomastica visa sunt, ad nomina urbium vicinarum Iudee & Benjaminis alludentia, v. g. *Berk-leapbra* pro *Cphra*, *Schaphir* pro *Para*, *Tzaanan* pro *Tzenan*, *Beth-baerzel* pro *Arzelitis*, quorum urbcs *Morza*, *Maroth* pro *Iarmuth*. Quod vero ad posterius, loquuntur id tam appellatiua, בְּלִי auar-rus pro מַשְׁבָּח scabies pro מִסְפָּח Ez. XXXII, 7. וְרֹשֶׁקъ & accendent pro וְרֹשֶׁקъ Ez. XXXIX, 9. שְׂרֵים & שְׂרִירִים Iud. X, 4. tum propria, pro אֲדֹם דָוְתָה Idu-maea Ez. XXI, 11. vel שְׁבָר pro עַכְרָב Achan Ios. VII, 24. cet.

§. XXXVI. Observatio sexta: Paronomastica non semper quidem & ubiuis requirunt veram, siue appellatiuorum siue propriorum nominum, etymologiam; premonstrant tamen eam aliquando, ac detegunt. Quod ad prius attinet, confer Ier. LI, 2. *Inmittam Babylonim* נָגָרִים וְנוּגָרִים pe-rigrinos, qui ventilabunt eam; ubi necesse non est, nomen נָגָרъ cum Vulg. aliasque vertere ventilatores, nouo prorsus & nonquam visitato significatu: sufficit collusio duarum vocum a diversis ortarum radicibus. Mich. I, 15. נְרָשָׁתъ in paronomastica videbatur esse ab יְהִי hereditauit, & est tan-

men potius a שָׁנַת *caput*, qs. *vrbs capitalis*, tum propter nominis formam, tum quia Ios. XV, 44. scribitur מִרְאֵשׁ, quod est pro מִרְאֵשׁ. Hinc bene HILLERV<sup>S</sup> *Onom. S.* p. 689. *Paronomasia*, inquit, non ubique etymon declarat. Quum enim paronomasia dicatur scita vocis ad vocem allusio per litteræ adlectionem, detractionem, transpositionem vel immutationem, vox, quæ ad alteram alludit, s<sup>e</sup>p<sup>i</sup>us & origine & significatu discrepat. Quod vero ad posterius momentum, exemplo & documento sint hæcce: נֶגֶן *pecus*, ouillum & caprinum, potest deduci ab נֶגֶן *exire* ad pascua; נֶגֶן *negotium*, quasi fatigans & humilians, ab נֶגֶן *humiliari*; שְׁמַיְּרָה *Omnipotens*, qui si vellet, posset omnia vastare ac perdere, a שְׁדָה *vastare*; item propria locorum, v. g. מַדְמֵן *Madmena*, vna cum לְבָנָה *stercus*, a דְמַמְּסָדָה *exscindi*, eliminari, צָרָה *Tyrus*, quasi vrbs munita, ab eodem themate, a quo מַמְּטָר *monumentum* est: collaris paronomasis illarum vocum Mich. I, 11. Cohel. I, 13. Esa. XIII, 6. Ier. XLVIII, 2. Zach. IX, 3. Indidem cognatio significacionis in adfinibus vocibus lucem capit, v. g. עֲשֵׂה *opem ferre*, עֲשֵׂה *opem circumspicere*, יוֹשֵׁב *opem inclamare*, coll. 2. Sam. XXII, 42. Psal. XVIII, 42. לְזִוֵּל *sustinere dolores*, דְלָה *sustinere languorem & morbum*, יְזִוֵּל *sustinere animum sp<sup>e</sup> futurorum*, sperare, exspectare, coll. Prou. XIII, 2.

§. XXXVII. Observatio seprima: Vt sine cognita vi & significatione priorum nominum, paronomasie, & hinc pondera sacri textus non attenduntur, ita tamen pereram ageret interpres, qui vt paronomasias lectori intelligibiores faceret, propria siue personarum siue locorum nomina velut appellativa conuertere præsumeret. Prius ostensum est in Diff. olim sub moderamine Praesidis ventilata, de *Nominibus propriis sacris* §. II. pag. 2. seqq. Posteriorius

sterius vero notabili exemplo illustrabimus ex Mich. I, 10-15. vbi cum sit aceruuſ complurium paronomasiarum, ex propriis factarum nominibus, interpres Latinus vulgatus cum LXX. Græcis aliiſque, male iſta propria ut adpellati-va vertit: *In domo pulueris puluere vos conſpergite.* Et tranſiſtobis habitatio pulchra, confusa ignominia: non eſt egressa quæ habitat in exitu: *planctum domus vicina accepit ex vobis,* cetera. Quæ qualia ſint, lectorum vix quisquam, niſi originarii textus peritus, percipiet. Ut tamen & propria poſſint retineri, & ſimil paronomasiarum ratio a lectoribus perſpici ex verſione tacri textus; ſcholia verſioni in talibus locis adiicere, inque iis paronomafies declarare, commodiffimum fuerit.

§. XXXVIII. Obſeruatio octaua: Paronomafia, in tex-ibus ſacris animaduersa, viam heic illic præcludit pfeudocritice. Ut enim ſunt Critici quidam nimis naſuti ac teme-rarii, ſic facile fieri poſſet, & factum eſt, vt i Sam. VI, 18. אָבִן הַנְּדֹוֹלָה refingerent in אָבֵל הַנְּדֹוֹלָה, coll. v. 14. Psal. II, 9. פְּרֻעָה in פְּרֻעָה, ad exemplum veterum me-taphraſtarum, Psal. XLIX, 21. לְאֵילָן in לוֹא יְבִין, coll. v. 13. Eſa. XIX, 18. שָׁר הַחֲרֵס in שָׁר הַחֲרֵס, exemplo inter-pretiſ Chaldaei & Latini Vulgati, qui ciuitatem ſolis verte-runt; c. LVI, 10. בְּאַת in בְּאַת, ſecundum Vulg. vi-den-teſ vana; Matth. X, 25. & alibi, Βελεθελ in Βελεθελ; 2 Petr. II, 13. ἀπάταις in ἀπάταις, coll. Iude v. 12. ac de-nique Rom. I, 31. ἀσωέτες, ἀσωθέτες, omiſſa priore voce, in ἀσωθέτες, exemplo Grotii, contra quem illic vide Ven. WOLFIUM in Curiſ. Sed paronomasia in his locis, dummo-do adueretur, facit, vt recepta lec̄tio optimo iure reſine-atur, neque quidquam temere mutetur: qui eſt ſchematiſ huius, haſtenus a nobis expenſi, uſuſ criticus.

F I N I S.

F 2

NO-

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

# CANDIDATO

## PRAESES

S. P. D.

**S**olemnis hæc occasio, qua ex dilectissimorum Parentum voluntate ad capiendos summos in philosophia honores procedis, doctissime *Candidate*, gratulationes & pia vota a me efflagitat. Quibus faciendis dum animum intendo meum, in mentem venit dictum celebris inter veteres Hebraeos magistri, R. ISMAELIS, quod in *Capitulis Patrum*, ceu Talmudici operis particula, memoriae est proditum: הלוּמָד עַל מִנְחָה לְלִמּוֹד מִשְׁקָן בֵּין לְלִמּוֹד וְהַלּוּמָד עַל מִנְחָה לְעֲשָׂוָת מִסְפָּקָן בֵּין לְלִמּוֹד וְלִלּוֹמָד לְשֻׁמָּר וְלְעֲשָׂוָת. *Qui ea lege discit, ut alios vicissim doceat, ei suppeditatur, ut & discat & doceat: & qui ea lege discit, ut que discit faciat, suppeditatur ei, ut discat & doceat, ut seruet & faciat.* Didicisti igitur hucusque Tu quoque, & in litterarum studiis colendis diligentiam comprobasti, eo cum effectu atque successu, vt Amplissimus Philosopherum huius Academiæ Senatus honores magisterii, ceu

ceu præmium industriae tuæ, & documentum laudabilem profectuum, consueto examine exploratorum,  
Tibi iam decreuerit, ac in eo positæ sint res tuæ statu, vt relictis audientium subselliis, cathedram do-  
centis mox occupaturus, atque thesauros illos eru-  
ditionis, quos auditus ex Præceptorum tuorum ore  
hausisti, vicissim cum aliis communicaturus sis. Sic  
igitur didicisti, vt doceres: ac proinde fructum ha-  
bebis, vt docendo quoque discas in posterum. Fe-  
licem igitur Te, si & docendo & discendo profeceris!  
Ac utinam qui non philosophiæ solum, sed & theo-  
logiæ studiis adhuc innutritus es, philosophiam colas  
quidem, sed ira vt theologiam longissime anteponas,  
& sapientiam illam maxime colas, aliisque instilles,  
cuius principium est timor Domini, sapientiam in per-  
fectis, (vt ait Apostolus 1 Cor. II, 6. 7. 8.) sapientiam  
vero non sæculi huius, neque principum huius sæculi,  
qui abolentur, sed sapientiam Dei in mysterio abditam,  
quam prædefinuit Deus ante sæcula ad gloriam no-  
stram, quam nemo principum huius sæculi cognovit! Hæc sit mea, hæc sit tua, Doctissime Candidate,  
philosophia, eaque omni humanæ philosophiæ, qua  
aliquando magis inflat, quam corrigit animum, lon-  
ge anteponenda. Vale. Dabam ex Museo d. v. Sept.  
cio 1000 XXXVII.

CLA.

CLARISSIMO  
*CANDIDATO*  
S. P. D.  
SIG. IAC. BAVMGARTEN.

**E**T si nec meam in TE voluntatem obscuram TIBI a  
dubiam esse arbitrabar, nec industriam TVAM in  
bonis litteris collocatam et tirocinia laudabiliter po  
sita cuiusquam atque omnium minime meo indigere testi  
monio existimabam: committendum tamen esse non pu  
taui, vt laetissimo hoc tempore TVO, quo summis in  
philosophia honoribus condecoratus in celebritatem acade  
mican admodum honorifice prodis, vnum ego amicorum  
TVORVM filerem, aut inter aliorum gratulationes nul  
lum mei erga TE amoris et voluptatis ex felicitate TVA  
captae monumentum publicum exstaret. Quare hanc TI  
BI dignitatem breuibus quidem et familiariter, at vere et  
ex animo sic gratulor, vt et amicitiae satisfiat, neque offi  
ciosissimi TVI in me amoris immemor esse videar, et te  
stissimum apud omnes faciam, quibus potissimum rebus  
studia TVA adeo mihi probaueris, effecerisque vt profes  
sibus TVIS tantopere delecter. Ita enim rerum TVA  
RVM rationes sudduxisti ex quo tempore in hanc bona  
rum

rum artium' palaestram concessisti, vt sanctiorem doctrinam,  
cui TE vni consecratum esse gaudeo , cum propaedeumata  
tibus studiosissime copulares , neque haec inter se coniun-  
ctissima diuelleres, sed pro eo, quo et inter se et cum ipsis  
sacris litteris cohaerent nexus mutuo , arctissime coniun-  
geres, atque adeo non solum in singulas diuinorum doctri-  
narum partes animo enixissimaque virium contentione in-  
cumberes, verum etiam philosophia , matheſi & lingua-  
rum in primis sacrarum cognatarumque scientia TE erudien-  
dum curares , sancteque caueres ne quid bonarum litterarum  
ad publicam utilitatem profuturarum in TE desideraretur.  
Cuius rei fructus iam cepisti, opinor, atque in posterum  
cicies, si quid iudico, aliisque feres longe vberrimos, ne-  
que vanum me TIBI vatem fuisse intelliges , qui quam  
primum me auctorem in litteris tractandis sequi coepisti,  
ita dudum praeuidi saepiusque praedixi. Age igitur, cla-  
ritissime Candidate, maecte hac virtute esto, TE ipsum iam  
sequere, aliis viam eruditioinis exemplo & doctrinis sancte  
praeito, TEque D E O et sanctiori disciplinae deuotum es-  
se memento. Facies hoc omnium rectissime , & mulra  
temporum nostrorum pericula securus transibis, atque in-  
excusabile sacrarum litterarum fastidium, quo multi iam vel  
ipſi earundem studium profesi in transuersum abripiuntur,  
effugies, si ab illo tramite, quem ingressus es, oracula  
diuina in deliciis habendi , ac diurna nocturnaque manu  
versandi nunquam recedes, neque in patentissimum lingua-  
rum scientiarumque campum excurses, quin quicquid ad  
ea illustranda pertinere videbitur sollicite conquisitum eo

G

trans.

transfere studeas. Quam exspectationem eo certius impletum iri confido, quo laetioris ominis instar habeo, quod eiusmodi specimen eruditionis publicum iam edendum statuisti, cuius utilitas ad diuinias litteras penitus intelligentias maiorisque faciendas redundans vehementer me delestatuit. Multos enim non imperitos elegantiarum arbitros magnificentius iudicaturos fuisse arbitror de eorum, quae viri sacri diuinitus scripserunt, paeſtantia, et ipsa librorum diuinorum eloquentia admiranda plane & incomparabili, si figuræ, flores et colores ad delectandum mouendumque comparatos, quibus referri sunt, rectius perspexissent, quod tamen sine linguarum sacrarum notitia datum est nemini. In quibus quum non postrema sit iucundissima paronomasia opere omnino pretium facis, quod eius copiosiorem, pertractionem publicandam defendendamque suscipis. Scalent enim, crede mihi, oracula diuinæ occultis eiusmodi allusionibus ad facta prægressa, mores gentium & ritus antiquos, ipsas etiam, quod proprius huc pertinet, sonorum similitudines et vocum ac nominum maxime propriorum deriuations. Quod ultimum allusionum genus inter viros diuinos, qui graece scripserunt, a PAVLO potissimum, vbi familiarius agit, visitatum fuisse, constat. Ut praeter euidentissimam paronomasiæ ad nomen ONESIMI in epistola ad PHILEM. com. X. XI. XX. obuiam, ipsæ blandissimæ compellationes PHILEMONIS, viscerumque amorum hospitiæ et amplexuum commemorationes in iisdem ad illum datis litteris comprobant, quibus PAVLVM PHILEMONI aurem vellere, ipsumque nominis sui commoneſacere voluisse interpretes obſeruarunt. Ad ipsum

ipsum autem PAVLI nomen non solum ipse i COR. XV  
com. VIII EPH. III com. VIII verum etiam quibusdam  
non improbabili ratione DAVID Ps. LXVIII com. XXVIII  
respexisse visus est. Nec forte falleretur, qui idem in no-  
mine TIMOTHEI et ONESIPHORI factum fuisse existima-  
ret I TIM. III com. VII cap. VI com. XI II TIM. I com. XVI.  
XVII. XVIII. Facit etiam maior harum allusionum ratio  
habita, ut ciuitatis christiana primi doctores, quos patres  
vocare solemus, latini aequae ac graeci et felicius intelligantur  
et a suspicione ignorantiae in vocum originibus ac signifi-  
cationibus liberentur, quam nimio allusionum & parono-  
miasiarum studio excitasse videntur. Quod luculentissimis  
exemplis confirmari poserit, si epistolae ratio permitteret,  
quam prolixissimus in TE amor meus iam longiorem red-  
didit, quam quidem destinaueram. Quam ob rem ne ani-  
mo indulgeam, scribendi finem faciam, si TE hoc unum  
rogauero, ut de me sic statuas, omni occasione vel data  
vel captata operam me daturum, ne quid TIBI a me desit  
officiorum studiorumque, quod ab homine profici pot-  
erit TVI quam amantisimo. ded. in Frideric. ipsis Non.  
Sept. an. c<sup>lo</sup> lccc xxxvii.

---

**D**um clamant reliqui, feliciter, OPTIME, amice:  
Cur ego, cur, haec sunt vix satis apta, loquar?  
Laetitiam premis IPSE meam? Poppysma parantes  
lure reluctantis cogis ad arma manus?


Non



Non tamen officii haec iniuria, si qua videtur,  
Non nostrae immemorem reddet amicitiae.  
Cogis ad arma, sequor, sed queis sub legibus audi:  
    Armorum strepitum si dabo, plausus erit.  
Quaeque ego conuellam placide illaturus in hostem,  
    Non nisi doctrinae sint ea signa TVAE.  
Si de more aliquid dicam, bona verba putato,  
    More nouo in partes vota vouenda meas.  
Si vir forte virum galeis adflabit adactis,  
    Oscula vulneribus substituisse placet.  
Tum trepidans, motusque gradu, vincerque lubensque  
    Si, virtute TVA, dixerim, macte, cadam.  
Quum post audiero: Sophiae cape viator honorem,  
    Victus, Io, laeta voce, triumphhe, canam.

M. A. G. BAVMGARTEN,

Opp.



Te 2608

ULB Halle  
003 904 288




3

fr

Retro ✓





DISSE<sup>15</sup>  
TATIONEM IN AVGVRALEM  
DE<sup>19</sup>  
**PARONOMASIA  
SACRA,**  
DEO BENE IVVANTE,  
P R A E S I D E  
**CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS,**  
THEOL. ET PHIL. PROF. ORD.  
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS,  
AD D. IX. SEPTEMBR. A. CICIC CCXXXVII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE VENTILANDAM EXPOНИT  
**IO. CHRISTOPHORVS DECKER,**  
VCAROMVnda · POMERANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITERIS IO. HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPogr.

